DISPVTATIO

DE EVCHARISTIAE

SACRAMENTO HABITA IN CE-leberr. Vniuersitate Oxonien. in Anglia, antea quidem illic excusa, iam uero denuò cum triplici indice in lucem edita.

TIGVRI APVD AND. GESNERVM
F. & R. Vuysenbachium. Anno 1552.

IOAN. VVOLPHIVS
D. PETRO SIMLERO viro grauiſsimo, S. P. D.

OFFICIVM meum erga te, Petre Simlere, ſeu potius iuſtæ & debitæ pietatis ſtudia, quoquo modo poſſem, lubens tibi præſertim iamſeni, & propè ultimos uitæ tuæ annos nunc agenti præſtare uelim, ne prius hinc ad ſuperos commigres, quàm benefacta tua bene locata eſſe intelligas. Ac profecto, ſi quantum piæ erga te & gratæ uolũtatis mente & cogitatione comprehendo tantum uerbis atq; oratione queam explicare, non minus in tranſmittenda ad poſteros tuorum erga me meritorum memoria laboris ſimul atq; operæ conſumpſiſſem, quàm in prædicanda ac commemoranda ſemper habui curæ & diligen-

tiæ. Siue enim magnitudinẽ tuorum erga me meritorum æſtimo, ſiue pueritię atq; educationis meæ memoriam repeto, tantum eæ apud me ambæ ualent, ut quoniam altera mirificè me promotum atque adiutum eſſe, altera uel etiamnum ſuauiter affici ſentio, niſi publicam utriuſque teſtificationem edam, uitam mihi eſſe acerbam putem. Nam cum ego, ut meminiſſe potes, cæſo ad Capellas patre, admodum puer ex Vrbe ad te deductus, & Ioanni Liberio traditus fuiſſem: tu quidem me quaſi in filij loco haberes, ſic benigne ſicq; amanter educaſti, ille uerò in bonarum literarum atq; artium ſtudijs quanta maxima fide & induſtria potuit, eo tempore exercuit. In ea ſchola, qui primum quidem Ioannis Liberij optimi & doctiſsimi uiri præcepta capere, & tenere, & omnino imbibere uoluit, deinde uerò tuam pietatem & prudentiam, &

illa

illa, quibus mirè præstas, scitè dicta, quæ uocantur ἀπόφθεγματα seruare, qui denique utriusque uestrûm fidissimis atque amantissimis monitis obtemperare uoluit, eum abundare oportuit præceptis institutisq; uitæ Christianæ, quippe qui ibi uitam ageret, ubi non modò scientia augeri, uerùm confirmari posset etiam exemplis. Quæ mihi recordatio hoc ipso iucundior est, quòd illa mecum repetens primordia meæ educationis, cum tuam pietatem amplector, tum mirabilem illam Dei Opt. Max. quam is in gubernandis rebus nostris adhibet, suspicere soleo atque admirari prouidentiam. Nam quod tu me istuc inuito ac multum reluctante auo quasi abreptum in tuam fidem tantopere dilexisti, eo ipso uisus mihi es officium educationis olim tibi ab Ioanne Vuolphio agnato meo præstitum, sanè quàm cumulatè reddidisse: quod au

tem Capellas mę deduci, aque ibi educari Deus uoluit, id ego admirabili eius consilio factum esse credo, nempe ut quo in loco patrem pro patria dimicantem mihi hinc ad superos abripuit, in eo te mihi patrem constitueret: & ut ibi ego hoc theatrum uitæ humanæ rectè instructus ingrederer, ubi ipso pater egressus est. Hæc ego omnia aliaq; innumera, quæ mihi à Deo Opt. Max. per te sunt præstita beneficia, & si semper digna iudicauerim, quorum in præclaro aliquo opere memoria extet sempiterna: tamen ipse ut efficerem hoc, nunquam ausus sum tentare: partim quia nolui te, cuius ætas iam ingraueſcens in diuinis literis suauiter conquiescit, à sanctiorum rerum cogitatione ad meas nenias auocare: partim quia magnæ molis esse puto hac ætate aliquid condere quod omnibus suis numeris sic sit absolutum atq; elaboratum

ut

ut non modò lectione & applausu doctorum hominum, uerùm etiam perpetuitate spectata ac quæsita dignum posit esse. Sed mihi ista cogitanti, & inter utrumq; scilicet & scribendi uoluntatem ac conatum, & iudiciorum metum suspenso, commodum oblata est alieni opetis tibi dedicandi occasio, qua arrepta mihi uideor cum meam erga te pietatem atque obseruantiam qualicunque epistolio testificans, uoluntati meæ uel utcunque satisfacere, tum eiusmodi tibi offerens opus, quod nec improbari nostris hominibus, nec tibi non iucundum seu molestum lectu credo fore, non oportere me pertimescere ullam reprehensionem doctorum atque prudentium. Est autem Petri Martyris Vermilij Florentini doctoris eximij, de Eucharistia cum præstantissimis uiris habita Disputatio. Quem ego librum tibi, siue eius authorem & argu-

mentum, atque ipsum etiam orationis genus, siue me qui illum tibi offero, & hæc nostra spectes tempora, sanè quàm iucundum spero fore.

Ac de authore quidem, de quo primus nobis est dicendi locus, quid ego multa dicam? quid eum tibi Petre laudem aut commendem uirum, cuius in Italia, Germania, Gallia tantæ laudes erant, ut inde trans Oceanum in Angliam eruperint, atque eum ipsum etiam illò secum tulerint? In ea insula quantam pietatis, humanitatis, doctrinæ existimationem habeat: quid ei Rex, quid legati regij, quid inimici pariter & amici deferant, ex eo, quem tibi offero, libro disci potest. Quantum autem onus suis humeris sustineat, ex eo quod etiam acutissimis aduersarijs ad obiecta argumenta tam rectè & prudenter respondeat, facile potest intelligi. Quod autem non modò

sacras

ſacras literas adeo pulchre tractat, dextre exponit, recte acómodat, uerũ etiam Patrum ſcripta omnia adeo in próptu habet, quaſiq; ad amuſim tenet, id argumento eſt uirum hunc, partim magno ſtudio in ſacris prophanisq; libris diu uerſatum eſſe, partim etiam ſumma ac propè ſingulari ingenij dexteritate & ſolertia diuinitus donatum eſſe. Argumentum aũt huius libri, quoniam ſubmoto abuſu ad uerum ac rectum cœnæ uſum non parum momenti affert, non ingratũ tibi poteſt eſſe. Quis enim eſt, qui ſi cauſas inſtitutæ euchariſtiæ, ac ſimul etiam eius uſus atque utilitates magnitudine ſua metiatur, non gaudeat ab hominibus ad priſtinam huius formam nunc reditum eſſe? Etenim quo auguſtior & celebrior eſſe debuit in eccleſia, hoc ſatan elaborauit magis, ut eam aut in abuſum aut in contemptum raperet. Atq; hoc ille non ſolum noſtra memoria uerum

etiam apoſtolorum ætate factitauit. Sed Deus pro ſua propenſa erga genus noſtrum uoluntate, ſemper hoc effecit, ut quemadmodum candor nigrore oppoſito nitet magis, ſic ſuę ipſius etiam cerimoniæ, poſitis è regione ſuperſtitioſis ritibus, ſint ac uideantur pulchriores. Idem accidit noſtra ætate, ut quando in euchariſtiam blaſphemos errores, ſuperſtitioſos ritus, graues contentiones inuexit ſatan, ex eo præclaris ingenijs hęc myſteria cum diligentius expendendi tum exactius explicandi præbita ſit occaſio. Sanè exiſtimaui acres illas & uehementes, quæ de euchariſtia paulò ante hæc tempora in Germania exortæ ſunt, contentiones, ſatis pupugiſſe bona ingenia, ut ſuper hoc negocio ſcriberent inter ſe & diſceptarent exactius, uerum acceſsit ad illas etiã hæc Anglicana diſceptatio, qua præſtantiſsimus ille Martyr

ad

ad executiendam atq; explicandam cauſam hanc ipſe etiam prouocatus eſt. Quæ ſane uelitatio, quoniam uel mediocriter in his rebus uerſato atque exercitato theologo, non ſolum non moleſta, ſed ſuauis etiam iucundáque poteſt eſſe, tibi certe, qui cum in reliquis theologiæ partibus, tum in hac præcipue quæſtione uerſatus es feliciter, ſuauiſsima procul dubio futura eſt. Quam ſuauitatem ipſum quoque tractationis genus mirum in modum adiuuabit. Eſt enim, ut mihi quidem uidetur, ijs quæſtionibus, de quibus ut controuertitur ſeriò, aut alioqui in utranq; partem dici ac diſceptari poteſt, nullum tractationis genus magis idoneum atq; accommodatum, quàm hoc ipſum quo autor ſermonem omnem in perſonas confert, quæ de re propoſita ſic rogando & reſpondendo inter ſe diſceptent atque differant, ut ea ipſa ab his agi potius uideatur,

quàm narrari. Etenim in eo contraria noſtræ ſententiæ argumenta ab ea perſona, quæ partes aduerſarij tuendas ſuſceperit, non modo proponi ui quadam & ſtudio, & contentione etiam maiore, uerùm etiam plenius ac melius commemorari atq; exponi poſſunt. Hac ego de cauſa credo Socratem & Platonem, & illorum diſcipulum atq; imitatorem Marcum Tullium, itemq; ex noſtris eximios illos & præſtãtes uiros, Ioannem Chryſoſtomum, Theodoretum, Baſilium, & nonnullos alios in grauium quæſtionum expoſitione dialogis uſos eſſe. Iam uero ſi tanta in dialogis, in quibus tamen non uerus, ſed ſolummodo perſonatus aduerſarius introduci ſolet, ui & uehementia agitur, quãta putas agi in diſputationibus, in quibus ſuas quiſq; ipſe ſeriò tuetur partes, contentione & conflictatione cum uerborum tũ animorũ? Ergo quantũ inter pugnas ludicras, q̃ corporibus

poribus exercendis seruiunt, & inter bella & prelia, in quibus pro aris & pro focis pugnatur, interest: tantũ mihi uidetur inter hoc quod modo diximus dialogorum genus, & in ter graues illas & serias, quæ pro religionis synceritate & pro fide catholica defendenda suscipiuntur & habentur, disputationes ego arbitror interesse. Quæ cum ita sint, ut reuera sunt, credo hanc etiam Petri Martyris, & eorum qui cum ipso de re iam diu controuersa atq; acriter agitata, non ioco, non exercendi ingenij causa, non denique ostentandæ doctrinæ gratia, sed inquirendæ, explanandæ, defendendæ ueritatis studio concertarunt, disputationem, etiam grauissimis & doctissimis uiris, quod in ea multas res abstrusas atque arduas, & fortasse alibi nondum satis explicatas, hic apertas uideant, gratam & optatam fore. Hæc ego omnia multaque alia, quæ ex libro ipso melius

cognoſci quàm à me referri poſſunt, ſubinde mecum reputans cogitaui, me eiuſmodi ſcriptum, ex quo argumenta aduerſus dirum illum Chriſti hoſtem, iam & in religionem & in mores bonos graſſantem Antichriſtum idonea peti queant, his preſertim tam deperditis moribus & temporibus, noſtris quoque hominibus impertire oportere. Erant enim in Anglia quidem, ut amici ſcripſerant, omnia diſtracta & uendita, in Germania uero & Heluetia aut nulla prorſus aut perpauca exemplaria. Itaque eum ego librum totum perlectum ſimul atque triplici indice auctum, & tuo Petre, nomini inſcriptum, Andreæ Geſſnero & Rodolpho Vuyſſenbachio noſtratibus typographis, hominibus induſtrijs excudendum dedi: partim ut epiſcopi & paſtores noſtri tam præclari operis fructum aliquem ipſi etiam caperent;

perent, partim ut quam diu animo meo comprehendi, re ipsa nunquam declaraui, meam summam ac singularem erga te obseruantiam, nunc eiusmodi tibi librum dedicans significarem. Quamobrem uehementer etiam atque etiam te Simlere pater rogo, ne munus hoc à me, qui meum quiddam tibi debeo, quia non meum ipsius uerum alterius opus est authoris, ideo ægro animo, sed libenter potius admittas atque accipias. Si enim intellexero tibi non improbari uoluntatem meam, atque ex tua sententia, quem uirum grauissimum & doctissimum esse constat, quid alij Christianæ nostræ religionis antistites & ministri sensuri sint, cognouero, confirmabitur atque etiam fortasse incitabitur uoluntas in hoc genere officij mea, multóque ita alacrius meum quiddam aliquando tuo

nomini inſcriptum ſum editurus. Vale & Vuolphium tuum quod ſoles & quod facis, ama. Datæ Tiguro Heluetiorum Metropoli. XII. Kalend. Aprileis Anno

M. D. LII.

PETRVS MARTYR VERMILIVS FLORENtinus Christiano Lectori S. D.

QVAE causæ ad scribendum de Eucharistia me impulerint, duæ sunt. Improborũ calumniæ, & amicorum uota: quorum alterum cõtemnere, inhumanũ fuisset, alterũ uerò negligere impiũ, cùm inde cultui diuino haud uulgare detrimentum impendere animadueterem. Si enim tãtum res mea hic ageretur, facile fuisset ista spernere. Nomen quippe meum non tanti facio, ut existimem propter conuitia maleuolorum, & uanos inimicorum rumores, oportere me commoueri, Scio prudentis hominis esse, per multa, & præcipuè huius generis dissimulare. & charitatem Christianam omnia ferre, non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, quęrere. Verùm hic iam

non causa mea sed Christi agitur, nõ meo nomini detrahitur, sed uerbo Dei: Siquidem periculum authoritatis ministerij, adeò coniunctum est cum uerbo Dei, ut ad ipsum quoq; pertingat, ita enim comparatum uidemus, ut quantumuis pia & docta, piè docteq; tradantur ab aliquo, ei si defuerit authoritas, imò si uel neuo uel macula quapiam, aut aspersa aut denigrata fuerit, cum paruo fructu, & sæpe cum nullo, proueniant. Quæ uerò sparserit nõnullorum impudentia, de disputatione à me habita Oxonij iam elapsa æstate, & quomõ apud cuiuslibet generis homines, Principes, nobiles, plebeios, ciues, & rusticos me traduxerint, nõ dicam: quòd nihil ab eis obscurè factũ sit, sed omnes anguli, plateę, domus, officinæ et œnopolia adhuc eorũ mentitos triũphos de me, & ἐπινίκια, resonent: nec dubito istorũ maledicta, cæteras quoq; natiões peruasisse. Quare una causarum quę me ad hæc ędenda cõpulit,

pulit, hæc fuit. Altera uerò (ut ab initio dixi) amicorum postulata, quibus profectò huc usq; pro uirili obstiti, tum quòd hac de re satis librorũ extare intelligerem, quibus abundepius quisq; posset institui, tum quòd nemo melius ac ego ipse, mea nouit, quæ hactenus tanti feci, ut noluerim te, candide lector, per ea remorari à meliorum librorum lectione. Nunc uerò hi, & quidem nonnihil improborum criminationibus commoti, me adeò urserunt, ut aliquorum precibus uictus, aliorum uerò authoritate compulsus, tandẽ cesserim. quid enim negare ausim Reuerendissimo Archiepiscopo Cantuariensi, cui planè omnia debeo? Quídue Regijs uisitatoribus, qui hisce disputationibus non solùm interfuerunt, sed præfuerunt? Damus itaq; tibi hanc Disputationem, cui ad maiorem euidẽtiam, Tractationem de eadẽ re, adiecimus. Quæ omnia simplici quidem (ne dixerim) absq; ullo stilo, conscripsi, at-

tamẽ fideliter. Nam quod attinet ad diſputationem, mea cõtuli cum exẽplis aduerſariorum: Quibus diligenter perlectis quæ animaduertere potui me præterijſſe, quod alicuius eſſet momenti, quantum rei ueritas patiebatur, ex eorum ſcriptis non detractaui reſtituere: & ubi eos deprehendi quandoq; ſuas rationes fuſius explicaſſe, & artificioſius ſcribendo tractaſſe, quàm tũc dum agebatur, prolatæ fuerint, ego quoq; ſalua ſententiæ ueritate, rem paulo latius expoſui, quod tamen raro admodum contigit. Cæterùm quod attinet ad ſummam, capita et ſubſtantiam argumentorũ, diſſolutionumq; ſiue reſpõſionũ, mutaui nihil, nihilq; (quod ſciã) inuerti, quod his qui mecum egerũt fraudi eſſe poſsit. Imò quantum memoria conſequi potui, quantúmue indicarunt notæ illorum qui excepe runt, cùm ultro citroq; inter nos diſputando ageremus, illas eaſdem uoces frequẽtiſsimè & ferè ſemper quibus

bus uſi ſumus, reponi curaui. Quiſquis itaq; actiói noſtræ interfuit, nullū planè uidebit omiſſum argumentum, nullum adiectum, & à ſumma ſenſuq; eorū quæ dicta ſunt, me nuſquam diſceſsiſſe intelliget. Quòd ſi quid à me aut omiſſum aut inuerſum maleuoli (ut eſt eorum ingenium) cō queſti fuerint, ea ſcribant, neq; cōtra me uerbis (quæ profudiſſe nō refert) ſed ſcriptis rationibus agant, quas cū & legere & conſyderare liceat, non erit abſq; fructu huius generis diſceptatio: Volāt enī (ut dixit Homerus) πτερόεντα uerba, at his quæ literis cōſignata ſunt, locus calūnijs minus patet. Hoc ſi fecerint, quemadmodū tunc auſus ſum uiua uoce congredi, ita nunc me comparabo, ad ea quæ ſcripſerint reſpondere, Tu uero interim uale, & boni conſule.

ILLVSTRISS. REGIAE MAIESTATIS Legati, qui disputationi huic præfuerunt, Candidis Lectoribus .S. D.

CVM rogaretur Thales Milesius, Quantum à veritate mẽdacium distaret: non bis non insciter respõdisse uidetur: ὅσον ὀφθαλμοὶ ὦτων, idest, Tantũ, quantum ab auribus oculi distant: hoc nimirum elogio significãs, oculos esse fidos rerum & spectatores, & testes planè classicos, aures uerò sæpe mendacijs apertas dari, sæpe per has ficta ac falsa in animum irruere, & proinde testibus oculatis, qui quæ narrant, oculis acta conspexerint, credendum esse, illorum uerò fidem, qui cęco testimonio, nihil aliud quàm leuitatem suam prodere solẽt, iure optimo semper suspectã esse debere. Sed quorsum ista? horsum, ô bone. Non sumus nescij, quàm falsos ru

mores de ea disputatione, quæ de Eucharistia paucis abhinc mẽsib⁹ Oxonij habita est, uani quidam & ad imposturas facti, homines, in uulgus sparserint. Scimus multos, dum & ficta sedulò narrantur, & falsa libenter audiũtur, permagnam hausisse uoluptatem, uidelicet, quòd ita famæ & eruditiõi Petri Martyris, uiri (uel inuidia sentẽtiam ferente) undecunq; doctissimi aliquot maculas aspersas cernerent. Non deerant etiam, qui quasi parta uictoria, seriò secum triũpharent, quòd per tonstrinas, falsis dissẽminatis calumnijs, existimationem optimi uiri depeculatam uiderent. Quę res ut non mediocri nobis dolori fuit, ita nunc est, cur duplici nomine illud factum esse uehemẽter gaudeamus, uel quòd hinc omnibus palàm fiet, quàm libenter papistæ (cũ res mendacia postulat) suis illudere soleant. uel quòd Petrus Martyr horum petitus conuitijs ac contumelijs, tandem ista sua peruulgare coa-

ctus sit, certe quidem, si facta ex rerũ euentu metiri uolumus, est cur nos istis quoq; gratiam uel maximam habeamus. Si enim hanc dogmatis sui cladem taciti ferre potuissent, neque huius disceptationis fructus ad exteras nationes unquam peruenisset, neque istorum infamia ultra Regni nostri fines ire compelleretur. Tam sumus omnes, in ueræ religionis promouẽdo negotio socordes. Frugi papatus seruis, nullæ conceduntur feriæ, mille norunt artes, quibus ueritati negotium facessant, ea tamen palmaria est, quam habet Esaias, Mendacium spem suam posuerunt, & uanitati uelut salutis suæ summæ arci, se & sua concrediderunt. Fuit quidem hæc maiorum suorum, quos imitantur, uetus disciplina, lex antiqua, ut dum uel cómodis consulerent suis, uel hostibus fraudi esse studerent, nihil non dicere liceat, nihil non mentiri phas sit: Vt multos istorum abauos silentio prætereamus, quid, qui

Stepha-

Stephanũ in iudicium duxerãt, quãuis cauſa cum Stephano impares eſſent, nec reſiſtere illius ſapientiæ aut ſpiritui poſſent, quid aut ſe uictos fateri propter impudentiam, aut Stephanum ſuperiorem propter cauſſæ ueritatem, aut ignorantiæ culpam propter confidentiam, deprecari uoluerunt? Imò cùm linguis ne hiſcere quidem ualerent, uidetis dentibus ſtridere eos, uidetis ab eis ſubornari homines, qui dicant, Audiuimus Stephanum blasphemantem Moſen & deum. Quid Petrus Martyr, tum in diſputando, tũ in reſpondendo præſtiterit, quid illius Antagoniſtæ ad cauſæ ſuæ defenſionem adferre potuerint, uobis palàm fiet, ubi quæ hic ſcribuntur, legeritis: Vobis iudicium deferimus, uos arbitros conſtitutos uolumus, Petróne, an Treshamo, Cheadzeo, & Morgano, honeſtiſsimæ cauſæ uictoria aſsignanda ſit. Nihil in tenebris actum eſt, omnia palàm ac in ſumma luce geſta ſunt, hi-

ſce quoq; quid ageretur ſpectãtibus, qui mori mallent, quàm dogma ſuũ è ſcholis ut falſum explodi uidere, uiderunt dogmatis defenſores in ſummas anguſtias perductos, dogma ipſum in maximo periculo uerſari, obmutuerunt tamen, & amicos ſub cuſpide relictos, planè deſerebant (ſi hoc deſerere eſt) periclitanti & opẽ re ipſa imploranti, ſuppetias non ferre. Quid quæritis? tollantur mendacia, ueritati uia muniatur, fraus ad hominum aures aditus tam faciles non reperiat, impoſtoribus nõ detur ſuggeſtus breui nullo negotio futurum eſt, ut & papiſtas minor turba ſequatur, & noſtrorum numerus tum domi, tum foris augeatur. Sed longius quàm decreueramus, peruagata eſt noſtra oratio. hoc Colophonis loco eſto, nos diligẽter perlegiſſe, quæ hic à Petro Martyre uobis exhibentur hoc, nos nominis noſtri integritate ĩ uadimoniũ poſita uobis cõfirmare, ſi ſummam rei et ipſam diſputationis ſub-

ſubſtantiam ſpectetis, Petrum Martyrem nihil mutare, imò penè eiſdem in ſcribendo uti uerbis, quibus in diſputando, uel ille, uel ſui Antagoniſtæ uſi ſunt, nuſquam quicquam additũ uel quod cauſam illi⁹ iuuet, uel quod aduerſarijs fraudi eſſe poſſe.

Valete.

QVAESTIONES PROpoſitæ ad diſputandum.

I. In ſacramento Euchariſtiæ nõ eſt panis & uini tranſubſtantiatio in corpus & ſanguinẽ CHRISTI.

II. Corpus & ſanguis CHRISTI non eſt carnaliter aut corporaliter in pane & uino, nec ut alij dicunt, ſub ſpeciebus panis & uini.

III. Corpus & ſanguis CHRISTI uniũtur pani & uino ſacramentaliter.

His tribus quæstionibus respondetur Ad quæstionem An Christi corpus sit in Eucharistia. pag. 7.

REGIORVM LE-
gatorum.

QVI DISPVTATIONI huic Oxonij habitæ præfuerunt nomina sunt hæc.

R. D. Heinricus Lincolnienſis Epiſcopus.
D. Richardus Coxus Oxonienſis uniuerſitatis Cancellarius, &c.
D. Simó Haynes Decanus Oxonié.
M. Richardus Moriſinus, Armiger.
D. Chriſtophorus Neuynſonus. Iu. C. doctor.

DISPVTARVNT PRIMO die, qui fuit 28. Maij. An. 1549. D. Petrus Martyr, & Doctor Gulielmus Treshamus, coram uisitatoribus Regijs. Ex quibus clarissimus uir D. Coxus Oxonienſis uniuersitatis Cancellarius, antequam disputatio iniretur, in hanc sententiam est præfatus.

DOCTISSIMI uiri, quã quam ego ex officio meo disputationibus scholasticis, præcipuè autẽ Theologicis præesse debeo, tamen quod meum est, id nunc faciendum potissimum duco: Nimirum quòd per Regiam Maiestatẽ licet, & quia per literas (ut uocant patẽtes) commissa nobis authoritas est, nõ modò alijs in rebus, uerumetiã publicis lectionibus ac disputationibus ordinandis, decreuimus non solùm interesse, sed etiam præesse, eásq; gubernare, & moderari. Vos autem, qui prouinciam hanc disputandi suscepistis, cogitetis, quàm sit ardua res quæ agetur: cogitetis quã omnium oculi in uos conuertantur: co-

gitetis diligenter, & curetis gloriam Dei, sepositis contentionibus & rixis. Scio vos graues & doctos uiros esse: Attamen quod officium meum postulat, uos monendos existimaui. Alios autem spectatores & auditores commonefacio, vt positis factionibus, si quæ sunt, ita quietè & tranquillè audiãt, vt ne partes vllæ factæ esse uideantur. Facite quod Paulus præcipit, vt in nomine Domini nostri IESV CHRISTI, idẽ sapiatis, idem sentiatis omnes, vt non sint in vobis schismata, sed sitis integrum corpus, eadem mente & eadem sententia. Ponite affectus malos, strepitus, turbas, cachinnos, & vociferationes ponite: maximè uos iuuenes monitos uolo, qui magis animi feruore ualetis, quã iudicio. Solent enim in maximis cõtrouersijs existere dissidia et odia, et inuidiæ, vt factũ est in Stephani disputatiõibus atq; Pauli. Id autẽ in vobis euenire nullo modo velim, sed opto potius, vt discatis veritatẽ cognoscere, et cognitã amplecti ita et vos vestrum facietis officiũ, & nobis rẽ gratissimam, & Deus fortunabit cœpta nostra.

Petri.

PETRI MARTYRIS præfatio.

I existimassem amplissimi viri, & Regiæ Maiestatis ornatissimi legati, offensiones animorum, odia, vel inimicitias, perpetuò esse comites publicarum disputationum, nunquam sanè fuissem huc adductus. Nunc autem quia video ea non semper consequi, sed illis coniungi, temere, siue (vt dicitur) per accidens, ad disputandum accessi. Me quidem ante omnia mouit veritatis exquirendæ & patefaciendæ studium. Qui verò cõtentionis cupiditate, vel ob gloriolam huius mũdi, vel ob quæstum, hoc institutum suscipiunt, non theologi habendi sunt, sed leues, inanesq; sophistæ, animalia cùm ventri, tum ambitioni dedita. Nos autẽ eo debemus esse animo, vt veritati agnitæ, & sese in disputationibus patefacienti vltrò libenterq; cedamus. Quod certè, non est minima aut leuis portio diuini cultus. Idcirco ex omni parte, animorum turbidi mo

tus faceſſant, ſintq; procul omnes factiones: Quòd ſi contigerit, magna huius exercitij erit vtilitas. Nam ferrum per ſe frigidum, iacet: & lapis omnino ſtupidus eſt, ſed ſi colludantur ſimul, ignem eliciunt. Vt nubes alioquin tenebricoſæ, & craſſæ naturæ, ſi concurrant, & ſimul quatiantur, fulgetra micant per aërem. Ita ingenia ac ſtudia eruditorum hominum, per ſe ipſa torpeſcunt, at in ipſo diſputationum conflictu, excitantur, ac vegeta reddũtur. Neque propter abuſum quorundam, res pulcherrimæ & honeſtiſſimæ, cuiuſmodi ſunt diſputationes, repudiari debent, nec vt inutiles & noxiæ haberi, cũ eas dona dei eſſe non dubitemus. Præclaram illam doctrinam Ieſu domini & ſeruatoris noſtri, de dilectiõe proximi, de reſurrectione, de cenſu reddendo Cæſari, de ſigno Ionæ prophetæ, aliiſq; rebus huius generis, diſputationibus quas habuit cum Scribis, Phariſæis, Saducæis, et Herodianis, debemus. Nec vobis obſcurum eſſe arbitror, ut profuerint eccleſiæ, Pauli cæterorumq; apoſtolorum atq; patrum diſputationes. Poterunt certè

ſine

sine acerbitate, odio, & inuidentia, à nobis modò spiritus Christi adsit. Magnum quippe discrimen habent dissentire, & odio habere. Nam primum pertinet ad iudicium, quod in parte cognoscente animi nostri exercetur. Alterum verò, id est, odium, flamma est voluntatis, Paulus dissensit à Petro, ac reprehendit, nec tamẽ eum odio habuit. Hæc de publicis disputationibus generaliter dixisse uolui. Ad nostras verò has propius accedens, fateor me aliquãdiu fuisse cunctabundum ad descendẽdum in hanc harenam, quòd viderem ea de re agendum esse, propter quam ecclesia hodie vehementer concutitur. Et qui sacerdotalem ordinem sibi uẽdicant, arbitrãtur, transubstantiatione sublata, & dempta carnali corporaliq; præsentia corporis Christi ab Eucharistia, de omni sua dignitate funditus actum esse, quasi non sit aliud eorum munus, quàm panem transubstantiare, vel ipsum corpus Christi in pane claudere, et plebs adeò est dementata, ac desipit, vt si quis de sacramento hoc aliter doceat, quàm hactenus receptum sit, putẽt

Christum sibi eripi, & cùm non tradamus de Eucharistia, vt in papatu creditur, manufacta, concurrunt quàm plurimi, et cum Fabro Argentario clamant: Magna est Diana Ephesiorum. At cogitare debuissent, eos non minus accusandos esse, qui sacramentis nimium tribuunt, & ex eis idolum faciunt, quàm illi, qui eadē negligunt. Quod vtrunq; vitium pro uirili nostra semper euitauimus. Nunc verò quādo tranquilla omnia vestra authoritate video, factus sum alacer, & lubens hanc disputandi prouinciam suscipio, neq; priuatas causas, cur disputare noluerim, cùm repentè prouocacer, nunc repetere volo, ne stomacho videar indulgere. Ideo ad quæstiones venio, in quibus me nonnulli calumniantur, quòd non seruauerim dialecticam methodum, & quòd prius quæri oportuerit, An Christi corpus in sacramento esset. Postea, de modo inuestigandum. Ego verò cōtra statuo, methodum quàm optimam hic seruatam esse, & quidem dialecticam, neq; sum ignarus doctrinæ Aristotelicæ in posterioribus analyticis, qua docet, prius quæren-

quærendum esse, an aliquid sit, postea, quia, quid & propter quid, videndum. Cæterùm quando corpus Christi neuter nostrum esse dubitat, & interrogor, an sit in Eucharistia, illis commodè respondeo per tres meas quæstiones. Primò non esse ibi per transubstantiationem. Secundò, non coniungi pani ac vino, seu speciebus eorum, corporaliter, & carnaliter (vel vt illi volunt) realiter, & substantialiter, sed tantum ibi esse per coniunctionem sacramentalem, quæ est significatio efficaciſsima. Habes itaq; methodum expeditiſsimam, quæ tamen vt ad huc sit manifestior, sic explicabitur: Corporis CHRISTI & sanguinis est aliqua cõiunctio cum symbolis. Hoc vtriq; nostrum bene constat, cuiusmodi autem sit, est controuersum. Quare id tribus meis quæstionibus aperio, atque incipio à modo craſsiori, qui est per transubstantiationem, eumq; remoueo, progredior deinde ad alium modum, de corporali, carnaliq; præsentia, siue reali, vel substantiali (vt illi loquuntur) quæ perinde habeo, et ei non assentior, vt qui tertiũ

1
2
3

cuiusmodi sit corporis vel sanguinis cum symbolis coniunctio.

modum conſtituto, nimirum per ſacramentalem ſignificationem. De vocibus autem corporaliter, & carnaliter, quia videntur ambiguæ, dico me illas accipere, atq; ſi dictũ fuiſſet, realiter & ſubſtantialiter, neq; hoc diſcrimine faceſſam eis negotium diſputando. Cur autem aduerbia magis deriuauerim à nominibus carnis & corporis, quàm à re & ſubſtantia, ea eſt cauſa, vt me ſacris literis accommodarem, quæ cùm ſacramenti mentionem faciunt, rei atque ſubſtantiæ nomina non habent, ſed tantum corporis, carnis, & ſanguinis, ideo ſcripſi corporaliter & carnaliter. Contendunt & hoc mei aduerſarij poſtremam quæſtionem eſſe ſuperfluam: nam aiunt, Si remoueris tranſubſtantiationẽ, et realem ſubſtantialemq; præſentiam, neceſſariò conſequitur, in ſacramẽto non relinqui niſi ſignificationem: quibus occurrimus, eſſe Anabaptiſtas, qui volunt ſacramentum hoc nil eſſe aliud quàm teſſeram, et profeſſionem noſtræ ſocietatis, quã inter nos ex charitate habeamus: efficaciã ſpiritus ſancti nihil morantur, quam nos in hoc

De hacre ſuſius tractatur in epiſtola nuncupatoria.

hoc sacramento statuimus. Præterea Martionitæ, Valētiniani, Manichæi, et id genus hæretici, cùm negauerint Christum habuisse verum corpus, significationem quam nos hic ponimus, ferre non poterant, quamobrē aduersus has pestes, tertia quæstiō nō est inutilis. Postremò accedit adhæc omnia, quòd has quæstiones volui cōsentire cum ijs, quæ in scholis docui, vbi hanc eandem methodū seruaui. Modò superest, vt rē aggrediamur, attamen dei auxilium prius de more inuocandum est.

PRECES.

CVm sancti spiritus afflatu, Deus optime maxime, pro tua misericordia, sis pollicitus nos regere, atque in omnem veritatem inducere, primùm quidem, gratias tibi immensas agimus de tam optimo ac vberi promisso, quod bona fide abs te implendum esse non dubitamus. deinde, quia in tuo sancto nomine conuenimus, & maximi momēti sunt, quæ discutienda proponuntur, ideo vt promissum fauorem modò exhibeas, to-

to pectore oramus & obsecramus, quodq; tractandum suscepimus, vt sic digneris moderari, & regere, quò inde gloria tuo nomini, Scholæ veritas, & ecclesiæ sanctæ proueniat ædificatio, prauos affectus quæsumus hinc submoueas, scripturarum sanctarum luce, corda cùm nostra, tum audientium illustres, quæq; ibi visa fuerint obscura, plana efficias, et nos circa illas errare non patiaris, quæq; à compluribus forsitan hactenus minus rectè sunt intellecta, nũc purius atq; cãdidius percipi cõcedas, per Iesum Christum Dominum nostrum.

DOCTORIS GVLIELmi Treshami Oratio.

VEritatis negotium discutiendum aggredior, uiri præclarissimi. Opus attento arduum, munusq; graue humeris impingo meis, quippe, qui cum homine tam docto, tam acuto, tam omni ex parte in literis cùm humanis, tum diuinis exercitato, idq; de re seriosissima, in hac etiam celeberrima doctissimorum virorum frequentia, cõgre-

di

di & colluctari constituerim. Quoniam igi tur duram suscipio prouiciam, quam alij cer tè plurimi huius Academiæ alumni, multò melius, exactius, et fœlicius, quàm ego cer tator imbellis, absoluere atq; transigere, si volent, possunt. uestri candoris erit, præstã tissimi regiæ Maiestatis legati, qui has disce ptationes, uestra præsentia ueneranda co ornare atq; illustrare dignati estis, vniuersa quæ hodie à me inter disceptandum proferen tur, æqui boniq; cõsulere, eaq; omnia piè in terpretari, quæ non nisi pietatis causa sedu lò enarrabũtur. Equidem nõ vlla instigatus malitia, non vllo liuore, aut odio impulsus, viro huic doctissimo aduersari volui, sed quia ipse ad hoc me quodam modo prouoca uit, et mea conscientia cõmouit, uestra de niq; mihi annuit authoritas, in hanc litera riam palestram concertaturus descendo. Cõ certaturus inquam, vel cũ amico, eodemq; familiari, verumtamen amico præfero ve ritatem, cuius asseuerãdæ gratia, pro virili renitar aduersus doctorem hũc, istius modi in rebus longè exercitatissimum, sed super

omnia nimirum in illo confisus, qui sui nomi nis professoribus pollicetur dicens: Ponite in cordibus uestris non præmeditari, quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Ad conclusiones itaq; tuas (Doctissimè Petre) excutiendas me accingo, quarum prima hæc est. In sacramento Eucharistiæ non est panis & vini transubstantiatio in corpus, & sanguinem Christi. Altera, Corpus & sanguis Christi non est substantialiter aut naturaliter in Eucharistia sub speciebus panis & vini. Quibus conclusionibus vt nullã prorsus adhibeo fidem, ita & easdem, ut sine fine dicam, falsas esse, et à Christiana religione longè alienas, pro persuasissimo habeo. Id quod, ita se re ipsa habere, quemadmodum dixi, scripturis sacris, & plurimis patrum testimonijs, apertissimè declarare, & commonstrare suo tempore non recusabo: Sic & hoc die, veritatem ab ecclesia hactenus receptam, conclusionibus tuis planè contrariam, & ex diametro (vt aiunt)

diunt) repugnantem, tuendam, & corrobo randam, mihi assumpsi. Non quòd Smythei doctoris qui abest, vices supplere uelim, cui profectò instituti conscius non eram, sed ad solius Christi gloriam, fideiq; veritatem astruendam, hoc concertandi munus in manus suscepi. Neq; profectò, vt huic meæ sententiæ fauerem, adductum me quispiam putet, ex leui quadam credulitate, sed ex magnis et vrgentissimis causis: Harum prima est, Sanctorum euangelistarũ, & diui Pauli apostoli concors et vniformis pro nostra assertione conspiratio. Vnde vniuersi orbis consensus, et perpetuus rei vsus ad nos vsq; permanauit. Secunda est, Sanctæ matris ecclesiæ haud contemnenda authoritas, quæ contra Berengarium, Vuicleffum, et huius farinæ homines, de certa veritate huius sacramẽti, uel aditis decretis sanciuit. Tertia, Patrum orthodoxorum sunt testimonia clarissima, quæ nisi aliter, quàm ipsi patres senserunt, exponantur, pro nostra astructione explicatissimè faciunt. Quarta & postrema, quòd illustrissimi & serenissimi Regis

nostri Eduardi sexti edictum, Regiumq; totius senatus consultum, non nihil patrocinatur. Quæ quidem causæ ad credendum mihi sufficere videntur. Quamobrem (doctissime Petre) quæ tu pro parte tua habes, aduersum me proferenda, atque proijcienda, argumentorum tela, ea omnia proferre, proijcereq;, vbi libet, licet. Dixi, & patet ad conclusiones responsio.

D. P. MARTYR.

LAudes, quas mihi tribuis, non agnosco. Beneuolentiam tuam erga me colo, quodq; dicis te à me prouocatum, longe secus habet, nam ego potius ab alijs sum pertractus ad disputandum, quod omnibus est notissimum, Causas verò quibus te motum dicis, vt aduersum me ageres, non multum moror, nam quanti sint momenti, tum agnoscam, cùm obijciendi munus obibis. De postrema tantum hoc dico, quo ad Regium sanè edictum, cùm Anglicè nesciam, de eo me prorsus nihil nosse, sed spero, in progressu disputationis, si quid contra me fecerit, intellectum iri. Quare his omissis, ad argumẽta me

Confero.

confero. D. P. MARTYR. Pro quæstione prima, scripturæ mihi fauent, quæ in hoc sacramento, quàm apertissimè panem & vinum agnoscunt. In euangelistis habetur, quòd Dominus Iesus accepit panem, bene dixit, fregit, et dedit discipulis. Et Paulus idē habet in prima ad Cor. 10. 11. Vbi si quis diligenter, expendat, sæpius meminit panis. Quare, & nos debemus vnà cum scripturis, retinere symbolorū naturas. TRESHAMVS. In scripturis etiam inuenitur, hominem vocari terram, vel cinerem. Heuam os, & virgam serpētem, aquam vinum, cùm tamen hæc non essent, verùm per tropum sic appellata sint. Deinde argumentum reflexiuum, repercussiuum, & reciprocum est, retorqueturq; in te. Nam & sæpe in scripturis vocatur corpus Domini. Idcirco oportebit hac eadem ratione, corpus Christi verè in hoc sacramēto esse, quod tu negas in secunda quæstione, igitur argumentū tuum in caput tuū conuertitur. MAR. Quò ad priorem partem responsionis, loquutionē scripturæ, quādo panem nominat,

Scriptura panem in Eucharistia agnoscit, ergo est ibi retinendus

Quando res nominatur, quæ amplius nō extet, scripturanos admonet de illius conuersione.

ſtatuis eſſet tropicam, eò quòd res nomina retineant naturarũ, à quibus conuerſa ſunt. Vbi vehementer miror, vos tam facilè confugere ad tropos, à quibus tantopere abhorretis, cùm de hoc ſacramẽto agitur. Sed hoc mitto, & reſpondeo in locis adductis ſcripturam nos diſertè commone facere de conuerſionibus illarum rerum, apertè enim oſtẽdit corpus hominis è terra conflctum, Heuã ex Adami coſta productam, virgam in ſerpentem conuerſam, aquam vinum factã. Quare hos tropos admittere cogimur. Vos itaq; è ſcripturis nobis probetis, panem conuerſum, quo ad ſubſtantiam in corpus Chriſti, & ſic dabimus tropum veſtrum, panem inquam appellari, non qui nunc ſit, ſed qui antea fuerit. Ad hæc, illa quæ inducitis, ita priſtinam abiecere ſubſtantiam, vt eius accidentia non retinuerint, quod uos confingitis in hoc ſacramento euenire, vbi à pane ſubſtantiam aufertis, & accidentia retinetis. Quodq; adieciſti, in altera parte reſponſionis, Contra me ſequi, corpus Chriſti adeſſe realiter, quãdoquidem ſancta ſcriptura & ipſum

Quæ ſcriptura ponit mutata eſſe, non retinent priſtina accidentia.

ipsum nominat, sicuti panem, quantũ faciat contra me respondendo, cùm vices ad me peruenerint respondendi, si tu mihi ista obieceris. TRES. Decretum erat, vt concisis vteremur argumentis, et tu multa interponis, attamen, quod attinet ad cõuersionẽ, quam tu negas haberi in sacris literis, eam probo ex Matthæo, vbi Christus ait, Hoc est corpus meũ. Non est sermo dei enuntiatiuus, aut significatiuus tantùm, sed efficax, factiuus & operatiuus: dicit enim Augustinus in psalmo 73. Sacramenta veteris legis promittunt seruatorem, Noua dant salutẽ, ideò asserο panem conuersum esse in corpus Domini. MART. Argumentis brευibus, et vtor, & post hac vtar, quantum res patietur. De tua verò probatione transubstãtiationis, quam modò adfers, nihil respondeo, quandoquidem meum est in præsentia obijcere. Cùm itaq; non admittas probationem, quam adduxi è sacris litteris, quod panis maneat, et eas per tropum eludis, ostendam tibi patres non ita sensisse, verùm cùm sancta scriptura verum panem in sacramento relin

quere, ac eam interpretari et intelligere, vt ego adduxi. Cyprianus antiquiſsimꝰ author, inſermõe de cœna Domini ait, Sicut in perſona Chriſti, humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita in ſacramento viſibili, ineffabiliter diuina ſe infundit eſſentia, vt eſſet religioni circa ſacramenta deuotio. Vides hic collationem fieri inter perſonã Chriſti, & hoc ſacramentum, quorum vtrunq; vt duas complectitur naturas, ita debet eas integras conſeruare, quod vos tranſubſtantiando non facitis. TRES. Equidem Cyprianum opponam Cypriano, eumq; per ſeipſum interpretor, qui dicit, in eodẽ ſermone: Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro. Audis mutationem naturæ panis, vnde non eſt credendum tantum martyrem ſecum pugnare, & in his quæ ſequuntur oblitũ eſſe ſui. MAR. Hoc non eſt propoſito loco reſpondere, ſed argumentum eludere. Ego cùm reſpondentis vices obiero, locum elucidabo, quem mihi regeris. Quare tuum eſt, nunc ad oppoſita reſpon-

Cyprianus.

Collatio inter ſacramentum hoc & perſonã Chriſti.

respondere, quomodo scilicet ista collatio Christi cum hoc sacramento, quam ponit Cyprianus, apud vos locũ hebeat. TRES. Cyprianus est optimꝰ interpres sui, MAR. Quando non aliud adfers, Gelasium producam, à quo idem asseritur, quò ad istam comparationem. Is contra Eutychen dicit: Certè sacramenta quæ sumimus corporis et sanguinis Christi, diuina res est, propter quod, & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ, & tamen esse non desinit substantia panis & vini. & certè imago & similitudo corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo nobis euidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo domino sentiendum, quod in eius imagine profitemur, celebramus, & sumimus, vt sicut in hanc scilicet diuinam transeunt sancto spiritu perficiente substantiam, permanent tamen in suæ proprietate naturæ, sic illud ipsum mysterium principale, cuius nobis efficientiam veritatemq; veraciter repræsentant, ex his quibus constat propriè permanentibus vnum

Gelasius de eadem collatione.

Christum, quia integrum verumq; permanere demonstrant. TRES. Liber ille non est receptus inter probata opera Gelasij, Praterea Gelasius erat pontifex Romanus, & miror te velle illum vnum sequi, cũ viginti pontifices expressissimè contra te faciant. MART. Responsio biceps, & librum non esse probatum, deinde, quòd à pontifice Romano æditus. Quo ad primum, nulla ostenditur causa, quare liber suspectus habeatur, præsertim cùm aduersus Eutychen hominem hæreticum scribat. Et si vellemus ita agere, vt dicendo librum aliquem suspectum esse, eludamus argumentum, tum possim omnes libros reijcere, quos aduersum me facere viderim. Secundo loco. Pontificatus Romanus non ita fuit eo tempore vitiatus & corruptus, neque peruenerat ad tyrannidem, vt postea colapsus est, quò posset officere authoritati Gelasij. Et ad hæc, non illi defero, quia pontifex Rom. fuit, sed quia cũ verbo dei facit, quo nomine ipse vnus mihi pluris est faciendus, quàm viginti aut centum alij, si dei sermonibus aduersentur. Sed age.

Libri patrum nõ facile repudiãdi.

ge. Inducatur Augustinus, qui loquitur in eandem sententiam de eadem collatione. pro vt citatur de consec. distinct. 2. ex sententijs Prosperi. Cuius hæc sunt verba. Sicut Christi persona constat ex deo & homine, cùm ipse Christus verus sit deus, et uerus sit homo, quia omnis res illarum rerum naturam et veritatem in se continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem sacrificium ecclesiæ duobus, sacramento, & re sacramenti. Hic vides eandem collationem inter Eucharistiam & Christum: vnde sequitur, vt sicut in Christo manent duæ naturæ integræ, ita substantia panis ab Eucharistia non est auferenda. TRES. Augustin. in isto loco quem citasti, pro me maximè facit, sic enim interpretor, eum velle in sacramento esse veram Christi carnem, sub speciebus panis opertam, quam vocat rem sacramenti: vult etiam accidentia: sub quibus corpus Christi operitur, signum esse carnis ita opertæ: insuper ait carnem CHRISTI sic opertam, signum esse corporis Christi in cruce pendentis: et sic idē esse signum sui ipsius.

MAR. Nunc non contendimus de signo et signato, an idem sint, verùm de collatione inter Christum & Eucharistiam, & de duabus in vtroq; naturis, quas vos non retinetis integras in sacramento, dum pro substãtia substituitis accidẽtia. Affirmat enim quòd omnis res earum rerum naturam & veritatem in se continet, ex quibus conficitur. Nemo autem dubitauerit ex pane conficisacramentũ. Quodq; adjcis, corpus Christi (Augustini sententia) contineri sub accidentibus panis & vini, ita vt illorũ symbolorum substantia extrudatur, ex eius verbis non habes. TRESHAM. Dico Augustinum docere his verbis, sacramentum confici ex corpore Christi & accidentibus, quæ accidentia sunt externum sacramentum. MART. Tu ais constare sacramentũ ex accidentibus & corpore Christi: Ego verò vrgeo collationem inter ipsum Christum & Eucharistiam, nam illi correspondere debet sacramentum: igitur vt in Christo neutra natura deperibat, ita in Eucharistia vtrãq; manere oportet. Alioquin hæretici

hæretici semper dicent, naturam diuinam in Christo verè concedi, sed humani corporis nõ habuisse nisi spẽm, et accidẽtia. TRES. Si Eucharistia verè Christo respondeat, ve luti contendis, sequitur, quòd sicuti uerus panis ibi esse astruitur, et verum quoq; corpus Christi debeat cõstitui, quod maximè facit contra tuam secundam quæstionem, vnde argumentum non valet, quia similitudo nõ ualet, quia similitudo nõ currit quatuor pedibus. MAR. Respondes quidẽ, contra me ista facere, eò quòd nõ statuam verè corpus Christi in sacramento contineri, sed tamẽ nihil adhuc respondes ad collationẽ istorũ patrũ, nisi vt video, eã negando, ideo argumentũ manet insolutum. Patres enim illã induxerunt maximè ad hoc, vt ostenderẽt utrinq;, tam in Christo, quã in sacramento, duas manere naturas integras & perfectas. Quomodo autem à me ponatur verum corpus Christi in sacramento, postea explicabitur, cũ ad secundã quæstionẽ ventũ fuerit. Nũc ex adductis testimonijs efficaciter cõclusimus, nõ esse abijciendũ panem, pro qua sententia &

Ad collationem inductã ex patribus nũquã fo ldere spõsum

collationē, & aperte negat transubstãtiationem.

primo sic ait: Ea quæ videntur symbola, corporis & sanguinis sui appellatione honorauit, non equidem naturam ipsam transmutans, sed adijciens gratiam naturæ. Et in secundo dialogo, inducit hæreticum sic opponentem. Quemadmodum ergo corporis & sanguinis Dominici symbola, alia sanè sunt ante sacerdotis inuocationem, transmutantur autem post ipsam inuocationem, & alia fiunt: sic & corpus dominicum, post assumptionem, in diuinam est substantiam transmutatum: Respondet Orthodoxus: Captus es his quæ tendebas retibus, neque enim post sanctificationem mystica symbola illa, propria sua natura egrediuntur, manent siquidem in priore sua substantia & figura, & specie: atque ita concludit, contra Eutychẽ, Corpus Christi non fuisse mutatum in naturam diuinam, vt ille asserebat, & ita vides pulchrè inter se consentire istos Doctores, Cyprianum, Augustinum, Gelasium, Theodoretum, in sacramento non esse abiectam

humanitas, quàm diuinitas integræ manent. TRES. Redige argumẽtum in formam, & tunc aptabo responsionem. MART. Hæc est ratio Theodoreti: Quemadmodum panis manet integer in sacramento, & non egreditur suam naturam, ita in Christo manſit eius corpus, & non fuit permutatum in naturam diuinam, vt hæreticus asserebat. TRES. Adhuc faciunt ista pro me, & cõcludunt ibi esse verè corpus Christi, quod in secunda quæstione tu negas. Deinde iste Theodoretus, quem citas, fuit Nestorianus, quod satis constat ex historia Nicephori, et concilio Chalcedonensi, actione octaua: Et testimonium hæretici viri in tanta re non meretur authoritatem. MART. Theodoretum nõ fuisse Nestorianum, nullus melius atque ipse probare potest, qui cùm scriberet aduersus omnes hæreticos, qui præcesserant, Nestorium non tacuit, imò peculiare caput contra illum scripsit, eúmq; appellauit, organum diaboli aptissimum. Quòd ve-

inter Cyrillum, qui concilio præsidebat, & Ioannem Anthiochenum patriarcham, eò quòd Cyrillus cum suis processisset ad damnationem ac depositionem Nestorij, se non expectato, cum alijs episcopis, et ita vtrinq; humanum passi, exercuerũt inimicitias inter se parum dignas christianis. Et eò res est progressa, ut sese mutuò excommunicarint, ac deposuerint. Sed postea reditum est in gratiam. Et hoc dissidio durante scripsit Theodoretus, qui Ioanni fauebat contra anathematismos Cyrilli, vbi eum grauiter premit. Etsi quis diligenter legat, vix poterit ex illo scripto deprehendere Theodoretum, vel hæreticum, vel fauentem prauo dogmati Nestorij. Aduersarij tamen eius, & qui erant partium Cyrilli, sic eum infamarũt. Sed uti diximus, tandem omnes inter se reconciliati sunt. Et in ista actione octaua Chalcedonensis synodi, apparet manifestè Theodoretum fuisse calumniam passum, & ibi liquet, quã bonum

ostedit se nunquam fecisse, quoad dogmata. De quo eodem Theodoreto nonnihil legitur apud Bessarionem Cardinalem Nicenum, in concilio Florentino. Cùm itaq; eius confessionem non repudiauerit, sed agnouerit Synodus Chalcedonensis, quare nos eius purgationem nõ admittitis? Et cùm ista scribat cõtra Eutychen, post synodum Chalcedonensem, in qua est approbatus vt Orthodoxus, non debent facilè (vt vos facitis) negari: plusq; concilio credendum est, Leoni sanctissimo episcopo Romano, et multis episcopis, quàm vni monacho Nicephoro. TRES. Non est æqua vel admittenda purgatio, qua seipsum aliquis purgat. Laudet te alienus, inquit Salomon, & non os tuum. Certum est, Cyrillum contra eum scripsisse multa, deinde satis obscurus est author, & eum præter te nemo habet. Vnde non est adferendus ad hoc tam graue negotium desiuendum. MART. Imo, cùm de fide

Optima ratio qua se quispiã de hæresi purgare poteſt.

alicuius agitur, quisq; est suijpsius testis admodũ idoneus, vt si quis accusaretur Arriana perfidiæ, non posset se melius purgare, quàm si Arrium detestaretur, & contra eum scriberet: quòd si existimas reijciendũ esse Theodoretum eo nomine, quòd aduersus Cyrillum contenderit, & Cyrillus cõtra eum scripserit, eadem ratione abijcies Cyprianum, quia semel in negotio baptismi, nõ solùm à Stephano Rom. episcopo dissensit, verùm etiam à reliquis doctoribus, qui sanè sentiebant. Debebis etiam refutare scripta Epiphanij, Chrysostomi, atque Theophili, qui vsque adeò inter se certarunt, & exarserunt, vt Ioannes Chrysost. deturbatus sit, & eiectus è suo episcopatu. Quòd verò obijcis incognitum esse scriptorem, & quẽ præter me nemo habeat: librum scias Romæ impressum, & venalem prostare. TRES. Respondeo, longum & tædiosum esset Romam ire pro vno tali libro. MAR. Igitur si eum non uis habere, sepositio eo, produco tibi Originem qui à me stat, in. 15. cap. Matth. scribens, ait, Quòd si quicquid ingreditur

Non est damnandus Theodoretus eo quòd cũ Cyrillo contẽderit.

Origenes habet materiale Eucharistiæ ĩ secessum ejici.

ditur in os, in ventrem abit, in secessum abijcitur, & ille cibus qui sanctificatur per verbum Dei & obsecrationem, iuxta id quod habet materiale, in ventrem abit, & in secessum eijcitur, cæterum iuxta precationẽ, quæ illi accessit, pro portione fidei, fit vtilis, efficiens, ut perspicax fiat animus, spectans ad id quod vtile est. Nec materia panis, sed super illum dictus sermo, est qui prodest non indignè domino comedenti illum, & hæc quidem de typico symbolicoq; corpore, tantùm ille. TRES. Origenis fides in hac re suspecta est, habetur locus in fragmentis, quæ ab Erasmo nuper adiecta sunt, & meministi vulgò iactari de Origine: Vbi bene, nemo melius, vbi male, nemo peius. Et ego vni Origeni suspecto, oppono Chrysost. authorem integerrimum: Num panem inquit vides? num vinum? num sicut cæteri cibi in secessum vadit? Absit vt tale quippiam cogites. MART. Doleo sanè tantum virum, Origenẽ inquam, lapsum fuisse in graues errores, Verùm eius hæreses colliguntur à Hieronymo, Epiphanio, & alijs illustri-

Nõ est accusatus origenes qd errarauerit in Eucharistia.

bus patribus, qui diligentissimè illum excusserunt, & eius errata palàm traduxerunt, ne simpliciores inficerentur, & ab eis nunquam super hac re taxatus est. TRESHAM. Argumentum ab authoritate negatiuum infirmum est, nec valet. Non scripserunt illum errasse de Eucharistia, igitur non errauit? Deinde iste locus est ex fragmẽtis ab Erasmo nuper interpretatis, quẽ fortè nominati à te authores, nunquã viderunt. MART. Est attamen verisimile, et omnibus æquis æstimatoribus maximè probabile, quòd cùm non tacuerint alios eius errores, qui iuxta vestram sententiam non sunt isto grauiores, hunc non fuissent dissimulaturi, quem vos tam grauem facitis. Quodq; cauillaris ab Erasmo adiecta ista fragmenta friuolũ est, quia ille non sibi finxit. Cumq; omnes libri sic inuenti sint, scilicet à studiosis in vetustis bibliothecis, omnes pari argumento cùm citantur, explodi possent. Sed audiamus Irenæum lib. 4. cõtra hæreses: Huius conditionis quæ est secundum uos, accipiens panem, suum corpus cõfitebatur. Et supra, simi-

similiter calicē, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est. Sed accidentia pendula, sine subiecto, nō sunt creaturæ secundum nos, imo ingentia miracula. Igitur Irenæus ea non cogitabat quando materiam huius sacramenti creaturam appellat secūdum nos, id est, vsitatam.

TRES. Oportet coniungere caput cum cauda, vt scilicet Irenæus dicat: Christus accepit panē, & illum fecit corpus suum. Isq; cōfitetur corpus Christi esse in Eucharistia, & ex pane fieri: dicit enim, Panem qui est à terra, nō esse amplius panem communem, sed fieri Eucharistiam. MAR. Quòd appellauerit panem, qui est à terra, corpus suū, aut Eucharistiā dixerit fieri, nihil facit ad hoc, ut substātia panis extrudatur. TRES. Esset profectò absurdissima propositio, si diceretur hic panis, est corpº Christi. MAR. Vt mentem Irenæi penitius intelligamus, ipse est audiendus eodem lib. 4. vbi ait: Quēadmodum enim, quid est à terra panis, percipiens vocationem dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus

Irenæus. Collatio mutationis nostræ cum mutatione panis

rebus constans, terrena & cœlesti, sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam nõ sunt corruptibilia spem resurrectionis habentia. Hinc colligo, sic mutari panem in Eucharistiã, siue Corpus Christi, prout corpora nostra mutantur, & fiunt incorruptibilia. Sed in hac mutatione non abijcitur substantia nostrorum corporum. Ergo & substantia panis non abit, neq; opus est vestra transubstantiatione. TRES. Argumẽtum non est efficax, quoniam à simili. Et hunc ipsum textum afferunt doctissimi viri contra te. Nam panis (inquit Irenæus) percipiens vocationem Dei, iam non est amplius cõmunis panis, sed Eucharistia, ita & corpora nostra redduntur incorruptibilia. Hæc mutatio corporum non est naturalis, sed spiritualis, quia Cyprianus ait. Nostra verò & ipsius coniunctio, nec miscet personas, nec vnit substantias, sed affectus consociat, & confœderat voluntates: vtq; ait (demonstrando hanc mutationem spiritualem) Paulus: transformamur spiritualiter in Christum, proficiendo à claritate

in

in claritatem, de die in diem. Maximum discrimen est, inter mutationem corporis nostri, & Eucharistiæ. Non enim incorruptibiles sumus naturaliter, sed spirituali incorruptibilitate et transformatione, quæ fit gratia, fide, charitate, pietate, &c. M A R. Nō erat, quòd laborares declarādo, quomodo corpora nostra sint incorruptibilia, quādoquidem ego similitudinem vrgeo, & colligo ex sententia Irenæi, esse vtrobiq; similē mutationem: & infero substantiam panis non perire, sicuti nostra corpora in sua mutatione, substantiam non abiciunt pristinā. T R E S. Respondeo mutationem nostrorum corporum in Christum, accipiendam esse, ob sanctas virtutes Christi in nobis residentes, per quas certi facti simus, quòd corpora nostra futura sunt incorruptibilia: & addo, argumentum hoc esse à simili, & ideo parum firmum. M A R. Corpus nostrum non potest dici mutari in virtutes Christi, nam illæ non pertinent ad corpus. Deinde ratio mea est ab authoritate Irenæi. Ille similitudinem inducit. Vnde argumentum non est

ſolutũ. Præterea debes expendere, quòd hic dicitur Euchariſtiam conſtare ex duabus rebus, terrena & cœleſti: Vnde ſequitur, panem manere, qui res terrena appellatur.

TRESHAM. Conſtat ex duabus rebus hoc ſacramentum, igitur duæ res in eo manent? Nego argumentum, conficitur quidẽ ex re terrena, nõ quòd ſic maneat, ſed quòd ſic fuerit ante quàm benediceretur, ſed poſt conſecrationem nõ amplius manẽt duæ res,

ſimile. *ſed vna. Exempli gratia. Nos cõſtamus nutrimento, & tamen cibus per digeſtionem naturalem conuertitur in rem alitam, &*

Sacramẽtũ nõ cõſtat duabus rebus ante benedictionem quia tunc non eſt ſacramentum. *non manet. MAR. Eſt ualde abſurdũ quod tibi ſumis, ſacramentum cõſtare ex duabus naturis, antequam benedicatur, quia tunc non eſt ſacramẽtum, neq; eſt corpus Chriſti, ante benedictionem. Loquitur itaq; Irenæus de Euchariſtia quæ iã eſt Euchariſtia: neq; admitto aliquid conſtare ex his rebus quæ non extent. Et ad tuum ſimile de alimento noſtri corporis, cibum aio, concoqui in ſtomacho, & partem eius per ſeceſſum & alia excrementa ejici, non nego, ſed tamen*

ſub-

substantia eius nisi in corpore maneret, atq; retineretur, non aleremur: sed hæc omnia parum ad rem pertinent, quia semper obijcio Irenæum, ponere talem mutationem panis in Eucharistiam qualis est mutatio corporum nostrorum in incorruptibilem statum, ad quam obiectionem non adhuc respondisti. TRES. Ad primum caput respondeo. Corpus mixtum ex elementis constare, & tamen elementa in mixto non extare. Ad alterum caput aio, similitudinarium argumentum nõ valere. MART. Item, respondes absurda, cùm defendis aliquid cõstare ex his quæ non extant, quodq; de corpore producis, quod tu mixtum appellas, scito in eo sic extare elementa, vt ex eis constat. Nam si constet ex eis in actu, vt aiunt, ibi in actu extant, si constat ex eis in potentia, vel in virtute, ita in eis extant. Quodq; repetis argumentum similitudinarium non valere, testatus sum antea, me nullam similitudinem hic vel adferre, vel confingere, tantum quod scribit Iræneus, inculco. TRES. Iterum respondeo, Argumentũ

Nisi aliqua pars cibi maneret in nobis, nõ aleremur

Quomodo elemẽta sint incõpositis corporibus.

à ſimili non valere. MAR. An hoc eſt reſpondere argumento? ego ipſe non attuli rationem à ſimili, ſed Irenæi ſimilitudinẽ perſequor: tum poſſes iure ſimilitudinem refutare: ſi ego illã protuliſſem. TRES HAM. Dico ſimilitudines etiã, quas inuenimus alibi ſcriptas & ipſi non confinximus, parum valere in argumentis, quod ex ſcripturis ſanctis declaro: dominus dicebat. Pater, fac vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me et ego in te: Iam non valet, ſi quis argumẽtaretur, Pater & filius vnum ſunt ſubſtantia, ergo Chriſtus & nos vnum ſubſtantia ſumus. MAR. Reſponſionem tuam nullam eſſe atteſtatur Hilarius, qui de trinitate libro octauo docet rectiſſimè quadrare, & firmũ eſſe argumentum, quod tu deducis à ſimilitudine deſumpta ex ſcripturis. Tu argumentum exiſtimas non valere, & ille dicit omnino concludere, & fatetur vi eius argumenti, nos eſſe eiuſdem ſubſtantiæ, & naturaliter coniunctos cum Chriſto per eius humanitatem, cui noſtra eſt conſubſtantialis: vt loquitur Cyrillus. Vides itaq; ſimilitudinem,

Hilarius. Similitudines deſumptæ ex ſacris literis faciunt firmum argumẽtũ, modo argumentemur à ſcopo ſimilitudinis.

In libro de recta fide ad Reginas.

nem quam deprompſiſti è ſacris litteris, veram argumentationẽ conficere. TRES. Miror te recurrere ad Hilarium, ille enim contra te facit, & huius rei authorem habeo Bucerum, qui ait nos coniungi cũ Chriſto in ſacra communione, non ſolùm voluntate, verum etiam naturali participatione, prout Hilarius ſcribit. MART. Primũ non citaui Hilarium propter quæſtionem de Euchariſtia, ſed vt commonſtrarem valere argumẽtum deductum à ſimilitudine deprompta ex ſacris litteris, quod tu negabas validum eſſe. Et nunc teſtaris Hilarium ex ſententia Buceri dicere, nos non ſolùm voluntate, verum etiam naturali participatione Chriſto coniungi, quod tu arbitrabaris non verè concludi: illam verò participationem Chriſti nobiſcum etiã naturalem, quã ponit Hilarius, non nego: Hic verò agitur non de cõiunctione CHRISTI nobiſcum, ſed cum pane: Annotabiſq; eundem Hilarium, paulo ante, conſtituere eandem coniunctionem nobiſcum in baptiſmo, videlicet naturalem, & non per voluntatem.

In libro de rectafi de ad Reginas.

Deducitur ad cõtradictionem.

Quare inde ſequeretur tranſubſtantiatio in baptiſmo, quã ſi tibi non datis, cauſa non eſt, cur hic à vobis vrgeatur. Verum ſi mihi locum obieceris, quando aduerſum me argumentaberis, videbis planè contra me nil facere. Nam hic diſputamus (vt dixi) aduerſus tranſubſtantiationem et realem coniunctionem CHRISTI cum pane, non autem de vera coniunctione CHRISTI nobiſcum, quam ego nõ nego. De Bucero autem quid ſentiat, quidue mecum faciat, alias dicam. Adſummam: Cum Chriſto habemus coniunctionem & quidem naturalem, quia ipſe naturam noſtram ſuſcepit verè de virgine, deinde per fidem, caro noſtra & natura, magis conformatur ad immortalitatem naturæ CHRISTI, & augetur indies, dum ſacramentis vtimur, iſta autem coniunctio atq; communicatio naturalis eſt, quam nos fatemur habere cum Chriſto. Sed hæc latius dicentur cum ad locũ Hilarij peruenerimus. Relicto itaque hoc argumento ex Irenæo, cui non eſt ſatisfactũ. Gregorium tibi obijciam Pontificem Rom. qui ait

Status quæſtionis eſt nõ de cõiunctione chriſti nobiſcũ uerum cum pane.

Declaratur coniunctio quã habemus cum Chriſto.

Gregorius in Regiſtro.

dit in Regiſtro: Sed tamẽ tam azymum quã fermentatum, dum ſumimus, vnum corpus domini noſtri ſeruatoris efficimur. Azymũ vero & fermentatum panem aperte indicant manere, ſunt enim proprietates panis, quæ locum non habent, ſi eum ſubtrahas. TRESHAM. Gregorius omnia conuertit in allegorias, & refert ad mores, monetq́, vt nos azymi ſimus, atq́, ſynceri, vt Paulus dicebat, In azymis ſynceritatis & veritatis. Et ita argumentum eſt inutile, cũ deducatur ab alieno ſenſu, vt Auguſtinus teſtatur ad Vincentium Donatiſtam. Argumentum aliunde ductum quam à ſenſu literali, parum habet virium ad perſuadendum quippiam efficaci deductione. Aut aliter poteſt reſponderi, eum videlicet loqui de materia panis, quæ ante conſecrationem, uel azyma vel fermentata fuit. MAR. Declaratur aperte Gregoriũ hoc loco nil egiſſe allegoricè, nã tunc vocabatur in dubiũ eratq́, cõtrouerſum, an deberet panis Euchariſticus haberi, vel fermentatus, vel azymus. Cõſultus Gregoriꝰ in Regiſtro, ſuper hac re

Controuerſia orta de pane azymo uel fermẽtato.

ſuam ſententiam reſcribit. TRES. Melius iam intelligo, quã antea, ſatis enim memini huius controuerſiæ, & Græci errant uſque in hunc diem, retinentes fermentatum panem. Nihil tamen locus aduerſum me continet: Nihil enim referre voluit Gregorius, vtrum panis azymus vel fermentatus ſit, ex quo ſacramentum fiat: & azymus panis vel fermẽtatus dicitur ex eo quòd antea fuit. MART. In tua reſponſione miror, quod dicas, in hunc vſque diem Græcos errare, cum Gregorius oſtendat, nihil referre, ſiue fermentatus panis ſiue azymus accipiatur. Et quod ais eum intelligere, quod dicit, ante conſecrationem, verbis eius non conſentit. Dicit enim, dum ſumimus: Nec ſacramentũ ſumitur ante conſecrationẽ. TRE. Poſtquam tranſubſtantiatus eſt panis, denominationem accipit ex ea re, de qua deducitur. MAR. Semper, cum inducuntur ſimilia quæ panem agnoſcunt in ſacramento, vultis eludere illa per tropum deſumptum à natura priſtina, Ideo ſic tecum modo diſputare ſtatui. Tranſubſtantiatio non manifeſtatur,

Contradicit ſibi.

Sacræ literæ non agnoſcũt tranſubſtãtiationem.

ſtatur, neque probatur ex ſacris litteris, igitur non eſt ſuſcipienda. TRES. Ex viſcriptura quæ dicit, Hoc eſt corpus meum, coacta fuit eccleſia ponere trāſubſtantiationē, non enim poteſt fieri, vt ea propoſitio propriè vera ſit, niſi ponatur hæc mutatio.

Si manēt accidentia curnō ſubſtantia.

MAR. Quid ita? noua certe nunc audio, ſi ſtant accidentia cum corpore Chriſti, cur non ſubſtantia? Quid magis peccauit ſubſtantia, quam accidens, vt manere nequeat cum corpore Chriſti? Et potiſſimum cum videatur eſſe bona pars contentionis, propter quantitatem, & dimenſiones, quas tamen vos retinetis, non enim aboletur quantitas & moles panis.

Cōtētio fere tota eſt propter quātitatē panis ne duo corpora ſint ſimul, & tamen eā retinent.

TRES. Ideo nō manet ſubſtantia, quia non ſic placuit Chriſto ſacramenti huius inſtitutori: potuiſſet Chriſtus efficere, vt panis maneret, ſed iam propter ipſius verbum, ſtante potentia eius ordinaria, non poteſt. MAR. Cum mihi non ſatisfactum eſſet, petebam cur nō poſſit manere panis? non dicis, niſi de verbo dei, & voluntate Chriſti: ego autem nō adhuc intelligo, quid obſtent uerba Chriſti, nec vi-

deo vnde habeas hoc testimonium voluntatis Dei, qua nolit panem extare. TRES. Quoniam impossibile est verbum dei falsum esse: Item & impossibile est ex proprietate vocum, veritatem astruere verborum domini quibus dixit, Hoc est corpus meū, sine transubstantiatione. MAR. Possem nunc dicere de tropo illius propositionis, quo ostenderem veram esse, vt multæ aliæ consimiles veræ sunt, manentibus rebus vt antea erāt. Sed hoc mitto, & pergo in interrogatione iam facta: quare magis hic pereat substantia, quàm accidens? nec audio rationem, cur vnum istorum potius, quam alterum subtrahatis. TRE. Iam dixi, quod stantibus terminis, non potest verùm esse, Hoc est corpus meū, nisi fiat transubstantiatio, quia panis nō est corpus Christi nec accidēs corpꝰ Christi. Præterea sermo dei nō esset effectiuꝰ et operatiuus nisi interueniente transubstantiatione, et accidens manere liquido cōstat. Ideo seruata proprietate sermonis, & nō pocēdo tropum in verbis, impossibile est propositionē veram esse, nisi statuatur transubstātiatio.

Anuera possit esse propositio hoc est corpus meū, absque transubstantiatione.

tiatio. MAR. In tua responsione, animaduerto corpus Christi non posse verè dici, vel de pane, uel de accidentibus, cùm tamen Epiphanius habeat in Anchorato: Verus est enim qui cum gratia, id quod est secundum imaginem homini largitus est. Et quot sunt, quæ similia sunt? Videmus enim quòd accepit seruator in manus suas, veluti Euangelium habet, quod surrexit in cœna, & accepit hæc, & vbi gratias egisset, dixit, Hoc meum est, & hoc & hoc, & videmus quod non æquale est, nec simile, non imagini in carne, non inuisibili deitati, non lineamentis membrorum. Hoc est enim rotundæ formæ, & insensibile, quantum ad potentiam, & voluit per gratiam dicere, hoc meum est, & hoc & hoc, et nemo non fidem habet sermoni, qui enim non credit ipsum verùm esse, sicut dixit, is excidit à gratia & salute. Quod autem audiuimus, id credimus, quod est ipsius: Dominum verò nostrum nouimus, totum sensum, totum sensitiuum, totum Deum, totum mouentem, totum operantem, totum

Epiphanius.

Corpus Domini dicitur de eo quod esi insensibile quã tũ ad potentiam.

lucem, totum incomprehensibilem, sed qui cum gratia hoc nobis quod largitur, est. Ex quibus verbis audis de eo quod est rotundæ figuræ, & insensibile secundum potentiam, Dominum per gratiam dixisse, Hoc est corpus meum, nec vales effugere, quin id quod est rotundum, vel substantia vel accidens sit illud, de quo Epiphanius inquit, Corpus Domini dictum esse, nam corpus CHRISTI vult de eo dici, quod est insensibile secundum potentiam, id autem minime convenit corpori CHRISTI, vt sensu careat, quemadmodum ex citata sententia diserte habes. TRES. Oportet legere veteres patres cum venia, quemadmodum Erasmus inquit. Et hoc scribant notarij, me nec accidens dicere corpus CHRISTI, nec panem. Præterea responderi aliter potest, quod ille sit locutus de hoc, ante finē prolationis verborum. MART. Cum illud rotundum, de quo iste ait dictum esse corpus CHRISTI, non velis esse panem, neq; accidens: quid ergo per pronomen demonstratiuum, hoc, ostendebat? TRES H.

Illud

Illud nescio, sed hoc ostendebatur, quod ipse CHRISTVS innuebat. Rogandus est is, qui instituit: Quod si panis demõstretur, ante consecrationem intelligatur. Patres vt dixi legendi sunt cum venia. MART. Quod ais legendos esse patres cum venia, libenter audio, & scio oportere eos quandoq; dextere interpretari. Cum autẽ vera dicũt, non est opus venia, neq; Epiphanium arbitror hoc loco ea opus habere, satis enim tuetur verbum Dei, & bene de eo loquitur. TRES. Hilarius habet, quod intelligentia dictorum est ex causis assumenda dicendi, quia nõ sermoni res, sed rei est sermo subiectus 4. lib. de trinitate, vt recolo. Et ideo vt iuxta rei conditionem & veritatem respondeam, dico Epiphanium dixisse, de eo quod est rotundæ figuræ voluit dominus dicere, Hoc est corpus meum, non quod verus panis rotundæ figuræ subsit, sed quia sic videtur & apparet nostro sensui. Et ideo dixi ipsum cum venia esse legendũ, quod verba eius præseferant panẽ manere, qui tamen non manet. MAR. Quod affers ex Hila-

rio parum te iuuat, nō enim poteſt aliter intelligi Epiphanius, quam ego propoſuerim, dicitur enim aperte Dominus per gratiam dixiſſe de eo quod eſt rotundæ figuræ, quod eſſet corpus ſuum, ſiue ergo illud rotundum facias panem, ſiue accidens, omnino contra te loquitur, nam corpus ſuum de eo prædicat. Verum vt intelligas panem re vera adeſſe, ex verbis Euangeliſtæ, hoc apertiſſimè demonſtro. Chriſtus accepit panem, benedixit, fregit, et dedit apoſtolis ſuis dicēs, &c.

Ex euangeliſtarū uerbis ducitur argumentū

Illa quatuor verba, accipere, benedicere, frangere, et dare, non regunt niſi vnum accuſatiuum, ſcilicet panem, igitur ſicuti verus eſt panis dum accipitur et benedicitur, non minus verus erit dum frangitur & datur. Vnde ſequitur, Chriſtum dediſſe panē, nec ſolum accidentia, alioquin dixiſſet Euāgeliſta, Chriſtum fregiſſe corpus & dediſſe corpus, ſed omnia, vt audiſti, refert ad panem: Nec Euangeliſtam puto opus habere venia. TRES. Dico cum diuo Petro, quod ſcriptura non eſt priuatæ interpretationis. Eccleſiaſtici patres ſatis clare explicant

cant pro mea assertione, Christũ dedisse corpus, & præponendo verbũ dedit, vsum fuisse tropo. MAR. Nondum mihi satisfacis: Nam quod Petrus ait, Scripturam non esse priuatæ interpretationis, id est, non debere pro nostris priuatis affectibus exponi, admitto: Sed nihil promoues. Et quod asseris de patribus, eos testatus sum & ostendi, à me stare: Vnde repeto, Accepit Christus panem, benedixit panem, fregit panem et dedit panem: sic patres veteres, sic scripturæ loquuntur: Tu recurris ad tropos, & videris dicere spiritu vtendũ esse. Ego vero, vbi quæram spiritum non video, nisi in sacris literis, quæ vtrunq; asserunt, dari panem inquã, & corpus, quod ego quoq; fateor, sed tu respuendo panem, illis minimè consentis. TRES. Scripturæ eo spiritu exponendæ sunt, quo sunt cõditæ: Et spiritus sanctus docuit sanctos patres, quod statim cũ proferuntur uerba cõsecrationis, desinit esse substãtia panis et vini, id quod volũt oẽs doctores catholici. Et ego non solum patres habeo, sed Christũ ipsum, qui promisit 6. Ioã. daturũ se

Quomodo intelligatur scriptura nõ esse priuatæ interpretationis.

Vtrũque datur, & panis & corpus, sed panis ori, corpus animo & fidei.

nobis carnem ſuam, fidelis eſt, & eius veritas non pendet à patribus, verùm ab ipſo. Panis inquit quem ego dabo caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita. Quare ego fateor, quod eſt panis, panis, panis, panis, panis vſq; ad pronũciationem finalem verborum. Poſtea non eſt panis, ſed caro. MAR. Verba ſcripturæ vtrunq; dicunt, & panem dari, & carnem. Cur non etiam fateris dari panem, vt Euangeliſtæ aperte ſcripſerunt. Nam quod patres aſſeris à te ſtare, iam multis eorum teſtimonijs oſtendi non eſſe verũ: et ſcripturas eodem ſpiritu exponendas quo ſunt conditæ, admitto. Sed quãdo ſecus exponuntur à vobis quam habeant, ea expoſitio non proficiſcitur à ſpiritu quo ſunt conditæ, nam is ab eis non diſſonat. TRES. Dico vtrumq; : ſed non ſicut tu intelligo ſcripturas. Et enim propter intelligentiam ſcripturarum, omnis ſemper exorta eſt controuerſia. Nam Arrius per ſcripturas nitebatur Chriſti diuinitatem tollere: Neſtorius verò et Eutyches per ſcripturas eius humanitatem auferre conabãtur. Manes, per ſcri-

De Neſtorio erat.

pturas

pturas liberum arbitrium exterminabat. Pelagius per scripturas liberum arbitrium supra modum extollebat. Lutherus per scripturas veritatem corporis Christi in Eucharistia asseruit: At contra Zuinglius per scripturas realem præsentiam corporis Christi ab Eucharistia visus est sibi tollere: denique hæretici omnes, & diabolus semper dixerunt: Scriptum est, & errarunt. Vnde patet refugiendum esse ad spiritum illum, quo scripturæ produntur. Quemadmodũ ait Petrus apostolus: Scripturam non esse priuatæ interpretationis, ille autem spiritus promissus est ecclesiæ. MAR. Habent fortasse scripturas hæretici, sed non bene habent, speciem sequuntur, at non solidum sensum. Quã vero ecclesiam sequendam tu mihi narres, non intelligo, hoc certo scio scripturas, Euãgelistas, Paulum, & sanctos patres, quos adduxi testari panem hic esse, & sancta scriptura id loquitur apertissimè: Atq; extra hæc quæ commemorauí, nulla est ecclesia, neq; vllus spiritus bonus contra ista facit TRES. Hæc verba Christi: Hoc facite

A scripturis cognoscitur ecclesia & spiritus.

in meam cõmemorationẽ, sunt verba præcipientia, & iubet nos facere quod Christus fecit. Is dedit corpus suum, qui corpus suum esse dixit, et quod Christus sponsus ecclesiæ fecit, hoc ecclesia eius iussu per scripturas facit. MARTY. De his verbis Domini, quæ tu commemoras, Chrysostomus in epistolam ad Corinthios priorem scripsit. II. cap. Hom. 27. Christus enim, in pane, & in calice, in meam commemorationem facite hoc, dixit. Ecce hic audis etiam post consecrationem, panem dici: Et Cyrillus in Ioannem lib. 4. cap. 14. Dedit illis fragmenta panis. TRESHAM. Patres appellant panem ex termino à quo, id est propter denominationem priorem. MART. Tu tergiuersaris, & hæres in termino à quo: tropum prohibes, & semper tropo te defendis. TRESH. Ego habeo multos locos Chrysostomi pro me, atq; oppono Chrysostomum Chrysostomo, et doctores cum obscure loquũtur, sunt interpretandi per loca clariora. Chrysostomus autem in sermone de proditione Iudæ, fatetur mutari panem.

Chrysostomus.

Cyrillus. Nusquã apud patres est mentio huius tropi qđ panis ibi dicatur ꝓpter naturam pristinã. Qđ tamẽ me minerũt passim alterius tropi quo

Mar.

MAR. Nunc vices meæ non sunt respondendi: Ad id quod obijcis ex Chrysostomo respondebo quando mihi oppones: Sed tamen interim ne videar nimis durus, cũ Chrysostomo sentio Panem mutari, sed in sacramentum, substantiam verò panis abijci nego, neque tu hoc vnquam docebis ex Chrysostomo: Quin & Cyrillus habet: Etiam in pane corpus eius pretiosum sumimus, & in vino sanguinem. TRES. Sumimus in pane & vino, hoc est in speciebus panis & vini. MART. Quid tu appellas species panis & vini? TRERHAM. Accidentarias formas panis & vini. MAR. Certe à patribus non habes hanc significationem, nam illi per speciem, intellexerunt naturas ipsas rerum, non accidentia. Ambrosius in lib. eorum qui initiãtur mysterijs cap. vlt. Quod si tantũ valuit sermo Heliæ, vt ignẽ de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, vt species mutet elemẽtorum? De sacramentali mutatione agit, unde si species intelligeret accidentia, sequeretur accidẽtia mutari ĩ Eucharistia, quod sensus reclamat.

ego utor scilicet corpus Christi in signo & figura hic tradi.

Cyrillus.

Quid sit apud patres: species panis & uini

Et in eodem cap. idem: Ante benedictionẽ verborum cœlestium, alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem, Corpus Chriſti ſignificatur. Et Aug. in Ioan. tract. 26. Aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili, quod tamen idem ſignificaret. Atq; ibi agit de diſcrimine ſacramentorum ueteris & nouæ legis. Et idem ferè habetur ab Auguſt. de cathechizandis rudibus lib. 1. cap. 16. TRES. Patres quandoq; ſpeciem appellant ſubſtantiã, quandoq; accidens, eſt enim vox ambigua, & quod ſcripturæ vocant panem, & patres panem item appellant, nos ſpecies dicimus.

Hic uiſum eſt dominis uiſitatoribus ut ageretur in ſecũda quæſtione.

MARTY. *Negamus corpus et ſanguinem Chriſti eſſe in pane & vino carnaliter & corporaliter, vel ſubſtantialiter, & realiter, vt ipſi dicitis, aut ſub ſpeciebus panis & vini. Atq; hoc ex ſcripturis docebo. Marci vltimo: Dominus Ieſus poſtquam loquutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum*

cœlum & sedet à dextris Dei. Math. 26. Pauperes semper habebitis uobiscum, me autem nõ semper habebitis. Ioan. 16. Relinquo mundum, & vado ad patrem. Multi dicent in tempore illo, Ecce Christus hic, aut illic, nolite credere. Act. 3. Quem oportet cœlos suscipere, vsque ad tempus restitutionis omnium: Et ad Coloss. 3. Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Cum itaq; ex his pateat Christũ hinc assumptum esse, degere in cœlis, nec conueniat naturæ ueri humani corporis, simul esse in multis locis: sequitur corpus Christi nõ esse realiter, in pane aut vino. TRES. Nego humano corpori non posse conuenire, vt sit in diuersis locis simul, quia contrarium docent sanctæ scripturæ, nimirum, Christum post ascensionem, etiam iuxta humanitatẽ, fuisse cũ apostolis. In epist. priore ad Cor. cap. 9. Paulus inquit: Nonne dominum vidi? & 15. eiusdem epi. Nouissimè autem, tanquam abortiuo visus est & mihi. Et in act. 9. Saule, Saule, quid me persequeris? Et iterum: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Et post

Scripturę testantur Christum à nobis corporaliter abisse.

pauca. Ananias dixit: Saule frater, Dominus misit me, Iesus qui apparuit tibi in via. Et Barnabas postea dixit apostolis de Saulo, quomodo is in via vidisset dominum, & quia locutus est ei, pro quo tempore oportet nos credere, quod Christus ad patris dexteram in cœlo fuerit, quia fidei articulus est: Et tamen tunc forma visibili erat in terris, quare nihil concluditur, & bene potest corpus Christi esse in sacramento sub forma inuisibili, cum in terris quandoq; fuerit (vt probauimus) in forma visibili. Quare tuæ rationes non concludunt. M A R. Responsio non satisfacit, quid enim tu nosti Christũ non apparuisse Paulo, in cœlis manentem? quemadmodum Stephano visus est sedens à dextris dei: Imò August. super psal. 54. ait. Caput quod erat in cœlo, clamasse pro corpore quod erat in terra, atq; dixisse, Saule Saule, quid me persequeris? Præterea, Paulus nonne raptus est in tertium cœlum, quando potuit ipsum Christum videre? quod ad Corint. testatur. Nam ibi tantum dicit se Christum vidisse, de loco autẽ vel tempore, nihil dicit:

Christus quãdo apparuit Paulo erat in cœlo.

dicit: In via quidem Paulo existenti apparuit, & illi dū esset in via, est loquutus: Sed hoc (vt dixi) facere potuit manens in cœlo, & inde vocem formare, quæ audiretur in terris. Deinde fac in terris dominum se Paulo exhibuisse videndum, pro illo eodem tempore non ostendens eum fuisse in cœlo. Articulo fidei credim⁹, quod sit assumptus in cœlum, & sedeat ad dextram patris: sed quod inde se non possit quandoq; transferri & apparere quibus voluerit, hoc nō tenemur credere: satis est fateri, quod in cœlis habeat propriam mansionem. TRES. Quod August. dicat super psalmo, Christum fuisse in cœlis, quando clamabat: Saule, Saule, quid me persequeris? meæ sententiæ fauet. Nam significat eum simul, & in cœlo, & in terra fuisse. Aut respondebo, Cœlum ab eo accipi pro aëre, vbi forte erat Christus, cū clamaret, Saule, Saule, quid me persequeris? & aërem appellari cœlum, scriptura testatur, cum dicit: Volucres cœli. MART. Quod ais Christum vtrobique fuisse, in cœlo & in terra, Augustini sententia,

ex illo non habes, imò potius alibi declarat se aliter sentire. Et Christum ponere pendentem in aëre absurdum est, et videris eum volucrem facere. TRES. *Non facio Christum volucrem, alioquin volucer fuisset, cũ penderet in cruce.* MAR. *Imò tunc ligno affixus erat, sed mittamus ludicra: Si volumus videre quid Augustin. sentiat hac de re, spectemus epi. ad Dardanum, vbi scribit de corpore Christi glorificato quòd est in aliquo certo loco, propter veri corporis modum. Quæstio ei proponebatur: Quomodo, latro cum Christo fuerit in paradiso, ea die qua mortuus est, vt promiserat futurum: Et respondet, quodsi pro paradiso accipiamus cœlum, hoc nõ est factum, quo ad humanitatem, quia corpus in sepulchro fuit, & anima apud inferos. Vnde statuit hoc accipiendum, quo ad diuinitatem. Inde colligo in hãc formam: Si animæ Christi non ausus est Augustinus dare, vt simul in inferno, & in cœlo esset, multo minus id eius corpori concedetur.* TRES. *Dico cum Augustino: Distribuite tempora, & concordat scriptura.*

Augu. ad Dardanũ

Argumentũ ex Augustino ad Dardanum.

Tres

Tres erant errores, quos impugnat eo loco Augustinus, vnus est eorum, qui verbum, id est, deitatem loco animæ Christi ponebãt, alter ponebat verbũ pro mente animæ Christi, tertius erat illorum, qui corpus Christi ponebant esse ubiq; diffusum. Agit itaq; August. de corpore Christi eo loco, quatenus habet formam visibilem, & eo modo tantum dicit esse in cœlo, nisi aliter quandoq; miraculose obueniat: Verum in sacramento est, secundum formam inuisibilem, secundum quam simul esse in diuersis locis credidit August. nam facit mentionem nostri sacrificij in illa eadem epist. Nec dubitandum est Christum se offerre visibilem, & rursus inuisibilem, pro vt voluerit: Vt Luc. 4. cũ se subduceret è turba, ac per medium illorum iret: atq; in monte Thabor ostendit corpus suum glorificatum. Ad Aug. ergo respõdeo, quod multo magis nunc istiusmodi opera facit pro suo libito. M A R. Multa concessisti, sed ex his omnibus non potest elici Augustinum. uelle corpus Christi simul esse in pluribus locis: Etsi meminit sacrificij nostri, est

id alia de cauſa, neq; ad hũc articulum pertinet, vt patet legentibus: Imò ibi ſacrificiũ noſtrum refert ad vnitatem corporis myſtici, neque vllam mentionem facit carnis aut ſanguinis ipſius Chriſti: Neque aſſumit errores de anima, vel mente Chriſti confutandos, imo ſupponit Dardanum nõ eſſe illis implicatum, & patet, quã contra vos ibi ſcribat, cum accidentia nolit eſſe ſi deſit ſubiectum, neq; corpora, ſi eis locum auferas. Et certe ſi vobiſcum faceret, cum iſta ſcribebat, debuit Euchariſtiã excipere. Huc accedit, quod ſi daremus corpus aliquod poſſe eodem tempore in pluribus locis eſſe, concedẽdum eſſet, & in omnibus poſſe eſſe, quod et Scotus vidit. Cæterum, vt iam aſſerui, adhuc ſtat ex Auguſtini ſententia, propter verum corporis modum requirere corpus Chriſti certum locum. TRES. Poteſt attamen, ſi deus velit, eſſe in multis locis, imo in quotquot ipſe voluerit, neq; derogandum eſt diuinæ potentiæ in eo, quod non claudit contradictionem ex terminis. MAR. Nihil diuinæ potentiæ à me ſubducitur, quamuis

Si corpus Chriſti poſſet ſimul & eodem tẽpore in multis locis eſſe, poſſet ubique eſſe.

ita

ita dixerim, & de potentia dei loquor cum omni modestia, sed multa sunt quæ ideo non possunt fieri, eò quod rerum natura non patitur, vt quæ repugnant, & veluti à vobis dicitur, contradictionem implicant, nec id attribuendū est infirmitati dei. Tu vero hic non esse repugnantiā ex terminis (vt loqueris) minime ostendisti, id tantū dicis. TRE. Nulla est hic difficultas ex parte rei, nā Paulus distinguit inter corpus animale & spirituale. Corpus autē Christi est spirituale, & hinc tollitur oīs difficultas ex parte rei, neq; tantū corpus Christi spirituale est, uerum et nostra corpora sic erūt post resurrectionem. MAR. Scio corpus Christi esse spirituale, sed Augustī. ait in Epist. ad Cosentiū: Intelligitur corpus aīale, dici simile cæteris animātibus, propter mortis dissolutionem & corruptionem, spirituale autem corpus, quod iam cum spiritu immortale est. Et mox. Proinde sicut animale corpus, non est anima sed corpus, ita & spirituale corpus, non spiritum debemus putare, sed corpus. Et de Ciuit. Dei lib. 13. capitulo 20. Sed quia

Corpus animale & spirituale.

ſpiritui ſumma & mirabili obtemperandi facilitate ſubdetur, vſq; ad implendam immortalitatis indiſſolubilis ſecuriſſimam voluntatem. Et mox, Sicuti ſpiritus carni ſeruiens, non incongrue dicitur carnalis, ita caro ſpiritui ſeruiens, dicitur ſpiritualis non quod in ſpiritum conuertatur. Audis quæ dicantur de corpore ſpirituali, inter quæ nō habetur, quod ſimul ſit in diuerſis locis, quia hoc eſſet dicere corpus non eſſe corpus. Tantum enim naturæ corporis repugnat, ſimul eſſe in diuerſis locis, quantum non eſſe corpus. TRES. Nego aſſumptum, tantum repugnare naturæ corporis, verſari ſimul in pluribus locis, quantum corpori non eſſe corpus: nam hoc poſtremum, claudit contradictionem ex terminis, non illud quod præcedit. Et expeditius id fieri poterit in corpore habēte in ſe dotes corporis glorioſi. MAR. Infra probabo, corpori Chriſti cum finitū, circumſcriptumq; ſit et creatura, repugnare, vt ſit in multis locis ſimul. quo vero ad gloriam quam nunc habet, dico me gloriæ dotes non excludere. Sed perſequor argumē

tum inſtitutum, quod Auguſtinus non voluerit animam Chriſti ſimul eſſe in inferno, & in cœlo cum latrone, multo ergo minus hoc dabitur corpori quod animæ nõ tribuitur. Neq; in ea tractatione excludit Aug. eu chariſtiam. TRES. Imo vero excluſit. MAR. Meminit Auguſt. infra Eucharıſtiæ, ſed longè aliud agens, non vt excludat à definita veritate. Agebat enim de ſpiritu ſanctо, quomodo vnus exiſtens ſua dona diſtribuat abſq; ſui diuiſione, & corpus myſti cũ eccleſiæ adornet ſuis chariſmatis, quod myſticum corpus Chriſti ait in noſtro ſacrificio demonſtrari. TRES. Quid ſi Auguſtinus neget animam Chriſti eſſe poſſe in diuerſis locis, ergo non poteſt eſſe? Num dictũ Auguſtini derogabit potentiæ dei, quo minꝰ id pro libito faciat? nõ derogabit. MAR. Satis eſt in præſentia vidiſſe Auguſtini ſenſum, qnod Chriſtus, quoad humanitatem, et propter veri corporis modum, in cœlo eſt, quo vero ad diuinitatem, vbiq;. TRES. Cũ Auguſtinus dicit, Chriſtus per id quod eſt homo, in cœlo eſt, intelligit id verum eſſe

In quẽ finẽ Auguſtinus ad Dardanũ meminit Euchariſtiæ.

ſecundum formam viſibilem, ita enim ſeipſum ibi exponit, dicens, Sic vēturus eſt, illa angelica voce teſtante, quemadmodum ire viſus eſt in cœlum, id eſt (vt eius vtar verbis) in eadem carnis forma: Secundum hanc inquit formam, non eſt putandus vbiq; diffuſus. Poſtea Auguſtinus ibi meminit noſtri ſacrificij, in quo dicitur: Gratias agim⁹. Et eo tempore nemo ambigebat de veritate ſacramenti. MAR. Ex Auguſtino ibi nunquā habes corpus Chriſti inuiſibili forma poſſe eſſe in multis locis: hæc tu fingis. Et iam oſtendi in quem finem ibi meminerit Eucharistiæ. Deinde non agimus hic de veritate ſacramenti, quam omnes fatemur, ſed contenditur de modo quo Chriſtus ibi ſit, oſtendam verò certiſſimè ſolius eſſe Dei, in multis locis & vbiq; eſſe, nec dandum creaturis. Nam hac ratione probat Didymus libro primo, de ſpiritu ſancto, diuinitatem ſpiritus ſancti, quia potuit ſimul eſſe in pluribus locis, quod non eſt vllius creaturæ. Et hanc eandem rationem fecit Baſilius in ſuo

Soli⁹ Dei

libro de ſpiritu ſancto, cap. 22. Vnde ſi firma

ma sit istorum demonstratio, concluderetur humanam naturam in Christō esse diuinam naturam, cum ponatur à vobis esse simul in multis locis, & sic omnia confunderentur. Sed audiamus iam eorum verba. Didymus ita habet: Ipse Spiritus sanctus, si vnus de creaturis esset, saltem circumscriptam haberet substantiā, sicut uniuersa quæ facta sunt. Nam etsi non circumscribantur loco & finibus, inuisibiles creaturæ, tamē proprietate substantiæ finiūtur. Spiritus autem sanctus, cum in pluribus locis sit, non habet substantiā circumscriptā. Mittens quippe Iesus prædicatores doctrinæ suæ repleuit eos spiritu, & insufflans in faciē eorum, Accipite (inquit) Spiritum sanctū, & euntes docete omnes Gentes: Non quasi omnes cunctis gentibus mitteret, Neq; enim omnes Apostoli ad omnes gentes pariter sunt profecti, sed quidam in Asiam, quidam in Schytiam, & alij in alias dispersi nationes, secundum dispensationem illius, quem habebant, spiritus sancti. Quomodo & Dominum dicentem audiuimus: Ego vobiscum

est simul esse īmultis locis & creaturis nō cōmunicatur.

Didymus.

Creaturæ habēt substātiā circūscriptam.

sum vsq; ad consumationem sæculi: his & illud congruit. Accipietis virtutem superuenientis spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, in omni Iudæa & Samaria, & vsq; ad extremum terræ. Si ergo hij in extremis finibus terræ, ob testimoniũ Domini constituti, distabant inter se longissimis spacijs, aderat autem eis inhabitator spiritus sanctus, incircumscriptam habẽs substantiam, demonstratur Angelica uirtus ab hoc prorsus aliena: Angelus quippe qui aderat, verbi gratia, apostolo in Asia oranti, non poterat simul eodẽ tempore adesse alijs, in cæteris partibus mundi constitutus. Spiritus autem sanctus, non solum seiunctis à se hominibus præsto est, sed & singulis quibusq; angelis, principatibus, thronis, dominationibus inhabitator adsistit, & vt homines sanctificans, alterius quàm sunt homines, est naturæ. Basilius de spiritu sancto, cap. 22. Proinde de spiritu, quem mundus capere non potest, sed à solis sanctis, per cordis puritatem videri potest, quid aliud iudicandum est, quàm omnis generis honores illi cõpetere?

Angelinõ possunt simul esse in multis locis.

Basilius.

petere? Reliquæ virtutes omnes in loco circumscriptæ esse creduntur, nã Angelus qui astabat Cornelio, nõ erat in eodem loco, quo cum astaret Philippo, neq; qui loquutus est Zachariæ ab altari, per idem temporis etiã in cœlo suam implebat stationem: At Spiritus simul & in Abacuc operatus, et in Daniele in Babylone creditus, & in catharacta fuit cum Hieremia, & cum Ezechiele in Chobar: Spiritus enim domini repleuit orbem terrarum: &, Quo ibo à spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? Et propheta, Quoniam inquit, vobiscum dicit dominus, & spiritus meus stat in medio vestri. Eum uero qui vbiq; est, qui Deo præsens est, cuius esse naturæ credi oportet? Vtrum omnia cõplectentis, an particularibus arctatæ locis? qualem esse naturam angelorum dei filius esse demonstrauit. Verum hoc nequaquam diserturus es. Hic mihi videas istos sanctissimos atq; doctissimos viros, statuere omnem creaturam, Angelos etiã circumscriptæ esse naturæ, & non posse pariter in diuersis locis esse: Et ita probant diuinitatem spiritus san

cti, eo quod simul in diuersissimis locis inue-
Ratio. niatur. Contrahatur in formam. Quicquid in multis locis est simul, est deus, Corpꝰ Christi non est Deus sed creatura, ergo, corpus Christi nõ est simul in multis locis. TRE. Ego non asserui corpus Christi esse vbiq;, quamuis in pluribus locis simul esse possit. Et licet corpus Christi assumptum, non sit deus, Christus tamen deus est. Quo autem ad Basilium & Didymum & Augustinũ attinet, ipsi de eo tantum loquuntur, quod suapte natura vbiq; aut multis est in locis, et id probant esse deum: non tamen vsquam potentiæ diuinæ derogat, quin aliud à deo per eius potentiam, in varijs locis simul esse possit. MAR. Quando ponitur posse simul esse in multis locis, pari ratione potest poni ubiq; esse. Et quod ais istos patres loqui de eo quod suapte natura potest esse in multis locis & illud ponere deum esse, non tamen negare, quin per diuinã potẽtiam aliquid creatum possit esse in multis locis, non est verũ. Imò hoc illorum euertit demonstrationem de spiritu sancto: Nam dicet hæreticus, Si

spiritus

ſpiritus ſanctus fuit in multis locis, hoc fuit per potentiam dei, non ſuapte natura: quare iſta ratione non conuinceretur nõ eſſe res creata: Ideo ad hoc vt concludant, oportet illos ſimpliciter intelligere, quod quicquid eſt in pluribus locis ſimul, deus eſt. TRES. Chriſtus eſt Deus, id nobis ſatis eſt. MAR. Cauendum tamen (ait Auguſt.) ne ita diui nitatem Chriſto aſtruamus, vt humanitas eius deſtruatur. TRES. Dico quod Chriſti humanitas non deſtruitur, loco illi plurifi cato, nam cum ipſe ſit omnipotens, poteſt ſimul eſſe, etiam ſecundum corpus, in multis locis, & vbi velit. MAR. Quæſtio eſt, nõ vtrum Chriſtus ſit omnipotens, aut Deus: ambo enim hæc fatemur, ſed an corpus eius poſſit eſſe ſimul in multis locis. Iſti hoc negãt de vlla creatura dici poſſe, tu vero affirmas de corpore Chriſti, quod tamẽ eſt creatura. Quæro igitur ex te, an corpus Chriſti ſit circumſcriptum. TRES. Eſt in ſumma, vbicunq; vult, & poteſt eſſe in pluribus locis. MAR. Audi ſaltem Cyrillum in dialogis de Trinitat. lib. 2. pag. 245. Si vere ſectionẽ Cyrillus.

Quicqd est corp⁹ est in loco in magnitudine & quãtitate. & quicquid est quantũ est circũscriptũ

& partitionem diuina natura (vt illi dicũt) reciperet, intelligeretur & corpus, si autem hoc, & in loco omnino, et in magnitudine, & in quantitate: Et si quanta esset, non effugeret circumscriptionẽ. Vide ergo quàm frustra cunctéris dare mihi corpus Christi circumscriptum esse, cum Cyrillus aperte dicat, etiam diuinitatem fore circumscriptã, si quanta esset, vnde inuictum est hoc argumentum: Quicquid est circumscriptum, nõ potest simul esse in multis locis. Hanc propositionem voluerunt patres modo citati. Addas minorem: Corpus Christi est circumscriptum, cum enim quantum sit, non potest effugere circumscriptionem, quod modo testatus est Cyrillus, igitur non potest esse simul in multis locis. TRES. Maior intelligitur de corporibus crassis, non de glorificatis. Quomodo potest claudi aliquo loco, illud corpus quod clauso tumulo surrexit, & clausis ianuis intrauit? MAR. Ideo iamdudum ex Cyrillo doceo, quod si vel ipsa diuinitas esset quanta esset circumscripta. Cum ergo non excludat deum, multo minus eximet

met corpora gloriosa, cũ nihil sit gloriosius deo, neque est quod modo egressum tumulo clauso, aut ingressum clausis ianuis mihi obijcias. Patebit locus dicendi ad ista, cum vices dabuntur, & mihi respondendi, & tibi obijciendi. TRES. Cyrillus loquitur de quanto habente modum quantitatis, & ad eum modum non astringit corpora gloriosa. Deinde nos fatemur accidens posse esse simul in multis locis. Exempli gratia: Sanitas vna & eadem est in omnibus partibus corporis, & negabimus hoc corpori Christi? MAR. Non potuit Cyrillus expressius dicere, & diligentius omnia suffugia obstruere, quando nec ipsam diuinitatem quoq; si quanta esset, & locum oportere eã habere, & circumscriptam esse. Quod verò mihi respondes de accidenti, id est, de sanitate, non est æqua ratio vtrinq;, quia sanitas est qualitas, nõ corpus, nec locum occupat, & est vna & eadem, pro vt corpus animantis in quo est, dicitur vnum. Sed sanitas vnius & eiusdem animantis, non est eadem in alio animãti, nam qualitates pro locis ha-

Accidens nō potest esse simul in duobꝰ subiectis.

bent sua subiecta, & illis impossibile est simul esse in diuersis subiectis numero, sed omnes partes animantis sunt idem subiecto, & vnū per colligationem membrorū. TRE. Ratio Didymi procedit de eo quod est suapte natura in multis locis, & non aliter. Et consentiunt omnes doctores Christum natum clauso matris vtero, & quod surrexit clauso tumulo, & intrauit ad discipulos ianuis clausis. Et Hugo de sancto Victore dicit, Angelos non circumscribi loco. Vnde etsi Christi corpus propriè sit in cœlo, attamen quia est spirituale, nō repugnat potentiæ diuinæ, quin possit esse in pluribꝰ locis. MAR. An patres intelligant suas rationes, de eo quod est suapte natura in multis locis, iam respondi: de vtero autem virginis, tumulo et ianuis clausis obijcies, & ego respondebo suo loco. Hugonem vero de sancto Victore, & alios, cum dicunt Angelos non circumscribi loco, intelligendos esse dico de locali ambitu, quo corpora, quæ sunt apud nos circumstante aëre, vel aliquo alio continenti ambiuntur. Non autem possunt accipi hæc,

Quomodo Angeli dicātur non circū scribi loco.

vt

vt intelligantur Angeli vel vlla creatura, non habere ſubſtantiam definitam, ita vt cum alicubi ſint, alibi eſſe non poſſint. Redeo itaque ad argumentum: firma eſt conſequutio, hoc eſt ſimul in multis locis, ergo eſt diuinitas. TRES. Reſpondeo. Chriſtus eſt Deus, & nunc inter nos eſt ſermo de corpore, quod habet coniunctam diuinitatem. MAR. Te interrogo. Eſt ne corpus Chriſti res creata? TRES. Fateor eſſe, ſed Chriſtus non eſt creatura. MAR. Ego vero Chriſtū vtrumq; aio eſſe, & creatorē et creaturam: quo ad diuinitatē, creator eſt, quo ad humanitatē, creatura: et ſi creatura, vt iſti patres aſſerunt, non poteſt eſſe ſimul in diuerſis locis. TRES HA. Quod ſemel Chriſtus aſſumpſit, nunquam dimiſit, ideo propter diuinitatem corpori eius inſeparabiliter annexam, poteſt Chriſti corpus eſſe in pluribus locis. MAR. Chriſtum & nos minimè diuidimus, integram tamen volumus vtranque naturam: Cumq; diuinitas non efficiat, quin corpus Chriſti ſit creatura, & iā habuiſti ex Baſilio et Didymo,

Chriſtus eſt creator, & creatura propterduer ſas naturas.

Chriſtus non diuidendo ſed tamen naturæ diſcernēdæ

non posse virtutes creatas simul esse in pluribus locis: ipse vides quid sequitur. TRES. *Illi disputabant de natura rei, non de absoluta dei potentia, nec est sequenda ratio aut sensus in rebus fidei, alioquin multa sequerentur absurda.* MAR. *Nescio quomodo potuerint apertius loqui de potentia dei, quãdo Cyrillus nec ipsam diuinitatem excludit, cum ait: Si quanta esset, non effugeret circumscriptionem. Agnosco autem quod dicis, in rebus fidei non sequendam esse rationem, neque sensum. At non est articulus fidei, Christi corpus esse in multis locis, cum hoc nusquam doceat scriptura, imo secus habetur ex ea, Christum videlicet esse verum hominem, & verum habuisse corpus, cui maxime conuenit, vt sit circumscriptum, et certo aliquo loco ambiatur, & quoad corpus credimus ascendisse in cœlum, reliquisse mundum, & sedere ad dexteram Patris.*

Disputatio

DISPVTATIO ALTERIVS DIEI, QVI fuit 29. Maij, Inter D. P. Martyrem, & D. Gulielmum Cheadzeum.

D. MARTYR

NON censeo eximij uiri, atq; ornatißimi Legati Regij, vtẽdum esse in præsentia vlla præfatione. Nam quæ visa sunt ad propositum negotium accommodata, heri diximus. Vestraq; prouidentia & authoritate perfectum est, vt omnia tranquilla atque pacata fuerint. Quod nec minus hodie futurũ expecto. Nũc itaq;, quod ad rem attinet, egregie atq; eruditißimè doctor, hesterna die cum adfueris, potuisti satis intelligere, Quæ sint propositæ quæstiones, & meæ sententiæ nonnullas rationes percipere. Vt itaq; in instituto pergamus, Rogo te, vt dicas, quidnam sentias de quæstionibus, nec vereor, quin abs te iusta moderatione omnia dicenda sint. Cæterum,

antequam respondeas, permittes, vt pro more meo, diuini numinis auxilium implorẽ.

PRECES.

CEpimus heri tuis auspicijs, Deus Optime Maxime, disputationes exequi, et cum in eo quoq; negotio sit hodie pergendũ, te denuo, qui fons es luminis, integerrima veritas, & candidissima sapiẽtia, inuocamus, quo sic verba dirigas, ne labamur in absurda, sed potius quæ tractanda sunt, & reddantur planiora, & illustrentur ad laudem & gloriam tui nominis, per Christum dominum nostrum.

PRAEFATIO GVlielmi Cheadzei.

MAgna res est & mysterijs plena, insignissime Doctor, quæ & heri tractabatur, et tractatur hodie. Magna, quia de corpore, quo satiamur et viuimus in æternũ, et de Sanguine quo potamur, et qui redemit plebẽ, disputatur. Mysterijs plena, quia nisi credideritis, non intelligetis. Verba mea

Spiritus

Spiritus et uita ſunt. Spiritus eſt qui viuifi-cat, Caro non prodeſt quicquã. Audiunt Capernaitæ et dicunt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum ſuſtinere? Audiunt Chriſtiani, & incunctanter cum Petro clamant: Verba vitæ æternæ habes: Nos credimus et cognouimus, quod tu es via, veritas & vita: Nos credimus promiſiſſe te ſpiritum ſanctum, non poſt vnum aut alterum millenarium venturum, ſed non poſt multos hos, de quibus loquutus es, dies. Agnouimus huius ſancti tui ſpiritus functionem. Ducet nos in omnem veritatem, docebit nos omnia quæcunq; dixiſti nobis. Cum tu ergo ſis verax, imò ipſa veritas, cum non poterint eſſe irrita, quæ procedunt de labijs tuis: Quantũ ad præſentiam corporis tui in ſacratiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, firmiter credo ex ore tuo, & pronuncio ex corde meo, neque fictitium, neque phantaſticum, non imaginarium, non nude figuratiuum, ſed verum, reale, ſubſtantiale, & ne videamur à craſſioribus abſtinere terminis, corporale, naturale, et carnale adeſſe corpus tuum,

te dicente: Accipite, manducate, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, frangitur, traditur, aut tradetur. De modo autē, quo aut qua ratione ibi ſit, an cum pane, an tranſelementato, & (vt dicunt) tranſubſtantiato pane, apertis verbis ſcriptura non docet. Sed quid dicemus? apertis verbis non docuit, ergo non docuit? abſit. Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo. Docuit. Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mūdi vita. Docuit, accipiēs panē in manibus ſuis, gratijs actis, fracto pane, diſtributo, Hoc eſt corpus meū. Docuit, ſed obſcurius. Noluit tunc tangi, quia nondum aſcenderat ad patrem ſuum. Aſcendit, miſit Sanctum ſpiritum, hic Sanctus ſpiritus ſanctus eſt officio ſuo: Docuit Eccleſiam. Docuit concilia, docuit patres omnem veritatem, Ipſum ergo audite, ipſi confidite, vincit & vincet mundum. Cæterum cùm nemo ſit tam fœlicis ingenij, tam tenacis memoriæ, tam ſanæ et ſolidæ orationis, qui aut argumētorum vi, aut authoritatum apparentia, aut patrum obſcuritate

Fatetur ſcripturā aptis uerbis nō docere tranſubſtātiationem.

in

in re alioquin veriſsima, facilè non perturbetur, à vobis præſtantiſsimi Legati Regij veniam peto, & obedientiam promitto, ſi quæ fortaſſe protulero, aut ſcripturis repugnantia, aut regni huius decretis vllo modo diſſona. Quo autẽ hæc omnia fœliciter perficiamus, communibus votis, eius ſancti ſpiritus inuocemus auxilium, qui omnia ſcit, omnia docet, vna precantes: Veni ſancte ſpiritus, reple tuorũ corda filium,. &c. Oremus Deus qui corda fidelium ſancti ſpiritus illuſtratione, docuiſti, &c. Ergo iam Inſigniſſime doctor, accingo me ad quæſtiones propoſitas, ſed prius pace tua, partim propter eruditionem meam, partim quod quæ heri à te adducta ſunt, tibi non videntur ſoluta, partim, vt qui adſunt non ſeducantur, tranſcurrã per duas aut tres authoritates, quas heſterno die protuliſti. Arguiſti ex D. Cypriano: Sicut in perſona Chriſti latet diuinitas &c. Et ſicut diuinitas & caro vnus eſt Chriſtus, ita panis & Chriſti corpus, vnum conſtituunt ſacramentum, Reſpondeo ſimilitudinem quadrare, non quantũ ad

Vultreſpondere argumentis quæ fuerũt ſoluta ab altero.

Ad Cyprianum.

latentiam, vt scilicet: Quemadmodum in humanitate latenter est diuinitas, vtq; anima rationalis est latenter in corpore, ita in sacramento sub specie panis latenter est corpus Christi, alioquin si teneat similia, quo ad omnes partes, consequeretur, Christum non potuisse mori, & animam nunquã fuisse à corpore separatam. Nam Athanasius habet: Sicut anima rationalis et caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus: quod tamen falsum est, quia diuinitas nõ potuit ab humanitate separari, id est vel à corpore vel ab anima, cum tamen anima potuerit per mortem à carne diuelli. Gelasius, quem pro te adducis, Nestorio fauit, nec bene consequitur, in parte non est Nestorianus, ergo non est? Certe fuit suspectus huius hæreseos. Posset igitur negari, sed tamen seipsum exponit: Manet in proprietate naturæ, hoc est, in accidentibus & speciebus panis, habet gustum panis, habet nutriendi facultatem, & cæteras qualitates panis. Et hoc sensu vtitur Aug. in epist. ad Dardanũ. Dardanũ ista uoce, substantia, cũ dicit. Vẽturus

Ad Gelasium.

Ad Augustinum ad Dardanũ.

turus est, illa angelica uoce testante, quèad modũ ire uisus est in cœlum, id est eadem carnis forma, atq; substantia. Quodq; ad Aug. ad Dard. attinet, verum est Christi corpus esse in vno tantum loco, sub humana forma. Attulisti deinde Aug. in sententijs Prosperi, qui dicit, sacramentum ex duabus rebus confici, id est sacramẽto, et re sacramẽti. Respondeo, sacramentũ externũ illud est, quod apparet oculo, res autẽ sacramẽti, est corpus Christi. In summa, vult Augustſ. sacramentũ hoc duobus constare, scilicet externo signo visibili, id est, speciebus panis & vini, & re sacramenti, id est corpore Christi, & ista reuera manent: hoc est quod ex Augustino colligitur. Nam idem Augustſ. vocat ipsum, & non ipsum. Theodoreto autẽ, tametsi non mihi extet liber eius, & apud Cyrillum cum Nestorio damnetur, dico eũdem esse sensum, quẽ intelligunt alij patres, qui cũ aiunt manere naturã, intelligũt proprietatẽ panis. Et ita nõ negamus Theodoretum, sed admittimus, verum hoc sensu, ne ipse vnus repugnet multis. Et hæc est regula, quã ipse

Ad eundẽ in sententijs Prosperi.

Ad Theodoretũ.

voluisti obseruari in patribus interpretandis. Fatemur vera esse, quæ habet Orig. in Math. 15. cap. in fragmentis, quod hoc materiale scilicet, vadat in secessum, Sed ipse se interpretatur alibi: Non inhæreas inquit sanguini carnis, sed discas sanguinem verbi. Nã sine fide si ederimus carnem, aut biberimus sanguinẽ, non prodest, sed vadit in secessum, non ipsa caro, sed panis & vinum, quia in sermone de lapsis habet idem Cyprianus, dominum scilicet recedere cum negatur, & subdit, cum gratia salutaris in cinerem, sanctitate fugiente mutetur. Irenæus inquis lib. 4. cap. 32. appellat panem, & est sane ante consecrationẽ verus panis. Attamen ex hac materia, accedente verbo, fit corpus Christi, vnde illa creatura præcedit consecrationem. Quodq; ait calicem qui est ex creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinẽ confessus est, ostendit mira dei omnipotentia ex creatura, quæ est secundum nos, fieri sanguinem domini. Nec est intelligendum, quod simul Christi sanguis sit & vinum, sed quod creatura secũdum nos, fiat sanguis post verba

Ad Origenem.

Ad Irenæum.

ba prolata. Greg. itidem in Regiſtro ait, poſ- Ad Gre-
ſe confici tam ex azymo, quàm ex fermen- gorium.
tato, non quod intelligat manere panem. Ad
hæc Epiphanius in Anchorato abs te intro
ductus eſt. Isq; locus maxime pro nobis fa- Ad Epi-
cit, vnde miror te feciſſe Epiphanij mentio- phanium.
nem. Et pro reſponſione ſatis erit verba eius
legere. Videmus quod accepit ſaluator in ma
nus ſuas (vt habet Euangelium) quod ſur-
rexit in cœna, & accepit hæc, & vbi gra-
tias egiſſet, dixit, Hoc meũ eſt, hoc & hoc,
& videmus, quod non æquale eſt, neq; ſimi
le, non imagini in carne, non inuiſibili deita-
ti, non lineamentis membrorum. Hoc enim
eſt rotundæ formæ & inſenſibile, quoad po-
tentiam, & voluit per gratiam dicere, hoc
meum eſt, hoc & hoc: & nemo non fidem
habet ſermoni. Qui enim nõ credit eſſe ipſum
verum, ſicut dixit, is excidit à gratia & ſa
lute. Ex ijs intelligi licet, quod quiſquis non
credit ibi eſſe verum corpus, is excidit à gra
tia & ſalute. Iam vt ad rem propoſitam ac
cedamus, Reſpondeo de prima quæſtione: In
ſacramento Euchariſtiæ panem & vinum

transubstantiari in verum corpus & verum sanguinem Domini nostri Iesu Christi.
MAR. Audiui te adferentem multa de rebus heri transactis, & conatus es ad ea quæ ego in obiectis habui aduersus alterum antagonistam, satis prolixe responsum accommodare: Sed modo, si demonstrare velim, quam sint validæ tuæ responsiones, distraheretur disputatio in immensum. Item cum habeam rationes alias, quibus proferendis non sufficiet (vt opinor) hodiernæ diei spacium. Bona fide recipio, me illo die, quo tibi sum responsurus, tua hæc omnia repetiturum, ac ostensurum quam parum valeãt, ad meas partes infirmandas. Interim ne quis me falsò criminetur, aut in inuidiam adducat, motus verbis tuis: Testor me agnoscere, nos verum corpus & verum sanguinem Christi accipere in communione, sed animo & fide. Neq; statuo corpus fictitium, aut phantasticũ: nunc vero tantũ id vocatur in dubiũ, quomodo illud verũ corpus et verus sanguis præsens sit in Eucharistia? Ego dico spiritualiter, & nos fide illud complecti, et

præsens facere. Tu vero asseris, nos ipsum ore et carnaliter, percipere. Omninoq; mihi persuadeo, & certo scio, quæ dixi nõ facere ad sectionẽ auditorũ, uti tu me insimulas, sed ad veritatem docendã: attamẽ his omnibus omissis agrediamur tractandã quæstionẽ. M. A R.

In omnibus sacramentis, inter sacramentũ et rẽ sacramẽti, seruari debet analogia, quã Cicero cõuenientiã dixit. Et Aug. de Catechizandis rudibus, vult sacramentũ habere similitudinem rei. Quod idem testatur & in epist. ad Bonifacium, vbi propter hanc similitudinẽ, dat sacramentis nomina rerũ. Cum itaq; Eucharistia pro re sacramenti habeat & corpus Christi, & corpus mysticũ, vos qui ei detrahitis panem & vinum per transubstantiationem, analogiam euertitis, quæ in hoc sita est, vt sicuti nutrimur pane & vino naturaliter, ita corpore & sanguine Christi nutrimur spiritualiter, in vtroq; homine. Et quo ad corpus mysticum, in eo habetur similitudo, quod vt panis & vinum constant ex multis simul cõgestis et cõfluentibus, id est ex multis granis et multis acinis,

Analogia in sacramẽtis debet seruari.

Duplex analogia Eucharistia.

ita corpus mysticum ex multis constat membris, quæ in vnum coalescunt.

CHEADZEVS. Nego minorem, quod subtracta panis substantia, tollatur analogia. MAR. Eam probaui: Nã quemadmodum corpus nostrum alitur pane et vino naturaliter, ita spiritualiter nos alimur corpore & sanguine Christi. Planum est autem corpora nostra nõ ali accidentibus, sed substantia. CHEAD. Non tollimus analogiam, quia ea consistit in materia, quæ habetur ante consecrationem: Accedit enim verbum ad elementum, & fit sacramentũ, atq; habita consecratione, remanent accidẽtia, quæ nos manuducũt ad illam similitudinem, & illa externa sufficiunt ad ostendendum quod tu quæris. & relinquuntur, magna dei misericordia, ne horreamus Christi corpus & sanguinem, si ostenderentur nobis absq; speciebus panis & vini. Nec requiritur propter istam conuenientiam, vt natura panis & vini maneat. MAR. Multa habes in tua responsione capita, ad singula replicabo. Primũ quod ais sufficere, vt ante consecra-

Corpora nostra nõ alũtur accidentibus.

consecrationem sit panis et vinum, ex quibus substantijs alimur, non efficit, quin in sacramento ipso auferatur à vobis conuenientia. Nõenim loquimur de sacramento, quando iam est sacramentum, & ibi analogiam seruandam contendimus; vos eã ponitis ante sacramentum, & cum ad sacramentum ventum est, subtrahitis, & ita peccatis in sacramentũ. In Baptismo certe nõ ita agitur, aqua enim, qua communiter abluimur, significatur animæ purgatio, neq; subducitur, imò permanet, & illa abluimur. Si autem subtraheretur, non esset plenum sacramentum. Itaq; non satis est dicere, ante consecrationem fuisse habitam debitam materiã. Deinde quod addis ex Augustino: Accedit verbum ad elementum, & fit sacramẽtum, maxime aduersum te facit, nõ enim inquit, extrudit elementum, sed accedit ad elementum: & sensus est, ipsum elemẽtum, fieri sacramentum, Et eandem misericordiã, quam tu dicis præstari nobis per accidẽtia, vt illis occultetur corpus Christi, ne dum cõspicitur, horrorem pariat: habemus, dum

Isti ponũt analogiã i materia Euchari-sti æ, ante quã sit sacramẽtũ.

In baptismo seruatur analogia qa ma net aqua.

Si uerbũ accidit ad elemẽtũ, non illud extrudit.

Horrortã aufertur per panẽ, quam per accidentia.

panis manet, & vinum. Non enim à cõsuetis naturis horremus. Quodq; asseris accidentia vel species nos manuducere in illam similitudinem, non satisfacit. Primo, quia fictitium est quod dicis de accidentibus. deinde quia hoc debet manere, quod nos alit naturaliter, quod minimè præstant accidentia. Debet enim sacramẽtum significare rem sacramenti, non autem pristinam substantiã, quam ipsum dicitis abiecisse. Postremo, quare extrudatis panem, nullam adfertis causam. Ego heri sæpe quæsiui, & nihil audiui, forte tu adferes. CHEAD. Primum respondeo, non requiri vt panis maneat in Eucharistia, sicuti aqua in Baptismo, nõ enim vtriusq; sacramenti eadẽ ratio est. Hic enim dicitur, hoc est corpus meum, non autem illic, hæc aqua est sanguis meus, aut corpus meum. Deinde non est necessarium, (quemadmodum argumentaris) vt maneat elementum, post accessionem verbi. Et naturalis ratio hoc docet simili, vt in digestione accedit naturalis calor ad cibum iam susceptum, & mutat eius substantiã in carnẽ, sic in sa-

cramento

cramento accedens verbum, mutat ſubſtantiam panis in verũ corpus Chriſti. Et quod abs te quæritur, cur panem tollamus, Reſpõdeo: quia ſpiritus ſanctus præuidit futuros hæreticos qui dicerẽt panẽ eſſe in ſacramẽto cum corpore Chriſti, ſubſtantiamq; panis eſſe carnem Chriſti: & qui negarent realem præſentiam, eo quod ibi remanere contenderint: ſubſtantiam panis. MART. Diſtinguitur tua reſponſio in tria capita, primum eſt, quod nõ admittis ſimilitudinem inter Baptiſmum & Euchariſtiam, quaſi ego argumentatus ſim à ſimili. Obiter attigi de Baptiſmo, ſed capitale fundamentum erat, debere ſeruari materiam conuenientem in ſacramentis, ea vero eſt, quo ad Euchariſtiam, quæ nos alat, quod à ſubſtantia panis fit, nõ ab accidentibus. Neque propterea nego non debere eſſe eandem rationem in Baptiſmo & Euchariſtia, neque tu ſecus oſtendiſti. Deinde contendis Auguſtini dictũ: Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentũ, cõtra te nõ facere, vt propoſuerã. Sed ego id probo, eo quod ſentiat elemẽtũ manere, et ea

coniungi verbum, & sic ex illis fieri sacramentum. Et tuum simile de naturali digestione, ad rem non facit. Accedente enim calore naturali, conuertitur cibus in substantiam nostram, quæ si abiret, vt vos in transubstantiatione panem excluditis, non sustentaremur, aut nutriremur vllo pacto. Et eandem rationẽ esse caloris naturalis, atq; verborum consecrationis, non facilè mihi probatis. Postremo, de causa quã adfers, quare panem reijciatis, eo quod Spiritus sanctus præuiderit futuros hæreticos, qui dicerẽt panem manere, vel corpus CHRISTI non esse, aut substantialiter aut realiter in Eucharistia, dico eam vanam esse: Nam isti hæretici (vt vos appellatis) futuri erant omnes patres, qui panem ibi conseruãt. Deinde, si Spiritus sanctus hoc docuit ecclesiam, cur verbum non profertis, quo hoc docuerit. CHE. Non requiritur, vt materia maneat in hoc sacramento secundum substantiam, nam potest analogia (vt dixi) haberi per accidentia quæ manent. Deinde Augustinus non dicit elementum manere: atq; facta

Quando spiritus sanctꝰ dogma fidei docet de eo uerbũ extat.

cta digestione, substantia panis minime retinetur. Et de hoc medicorum et philosophorum esto iudicium. Postremo respondeo: Spiritus sanctus ecclesiam docuit in Lateranẽsi concilio, ponendã esse transubstantiationem

MAR. Ad extremam partem responsionis, obijcio, me petijsse uerbum Dei, quo Spiritus sanctus docuerit transubstantiationẽ, & tu mihi respondes per concilium Laterane nense, de quo non est curandum quid statuerit, nisi ex verbo dei sua decreta comprobarit. Sed quid hoc abs te quæro cum tu fassus sis in tua præfatione, transubstantiationem ex sacris litteris expresse non posse probari? Contra alterum repeto, quod nisi materia et substantia cibi vel panis, post digestionem in nobis maneret, non viueremus: abijcitur quidem aliqua portio per secessum & excrementa, sed nisi vicissim aliquid maneret, nõ sustẽtaremur. Sed quam pulchre faciat pro vobis hoc simile, ostendam: In naturali cõcoctione, substantia et materia cibi pro debita portione retinetur, abijcitur vero forma & accidentia. vos uero contra hic sub-

Quando petitur uerbum dei, male respondetur p concilium.

De concijs parum curãdũ nisi ex uerbo dei statuant.

Simile qđ pro se adducũt cõtra ipsos admodũ facit.

ſtantiam abÿcitis, & retinetis accidentia. De hoc (vt tu quoque dicebas) ego velim medicos philoſophoſq; iudicare: nam in nutritione formam panis ego reſiduam non pono, ſed eius materiam, ſubſtantiam, & corpus. CHEAD. Aſſero concilia multum per omnem modum curanda, quãdo ſtatuũt ex verbo dei, velutiã Lateranenſi, quod citaui, factum eſt: nam ex Euangelio habes tranſubſtantiationem, licet obſcure, cum dicitur, Hoc eſt corpus meum. Dicimus præterea manere accidentia propter infirmitatem noſtram. Deinde, quemadmodum ex pane caro noſtra fit, accedente digeſtione, non remanente panis ſubſtantia, ita ex elemento, verbo accedente, fit corpus Chriſti. MART. Hoc eſt nihil dicere, quia non adhuc oſtendiſti concilium Lateranenſe ex verbo dei ſtatuiſſe. Iamq; ſæpe obieci, ad hoc ut elementum fiat ſacramentum, neceſſe eſſe vt maneat. Et vt ratio noſtræ infirmitatis habeatur, tantundem prodeſt ſubſtantia panis, et multo magis, quam accidens. CHE. Fateor quod dicit Auguſt. Accedit verbũ

ad

ad elementum, & fit ſacramentum, non tamen dicit elementum fieri ſacramentum. MAR. Expendamus verba. Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum. Quid ſit ſacramentum? CHEAD. Non elementum, non verbum, ſed tertium quiddam ex vtroq; compoſitum, diuerſum & à verbo & elemento. MAR. Sacramẽtum eſt ſacræ rei ſignum, hoc autem conuenit elemento, vt ſit ſignum. Et omnes fatentur ſacramenta fieri ex re & ſigno: Igitur cum ſignificatio pertineat ad elementum, oportet vt maneat. Tuq; imprudens idem fateris, quando dicis ſacramentum non eſſe elementum, non verbum, ſed quiddam tertium ex his compoſitum, quomodo poteſt ex eo componi: ſi non manet? Et aperte hoc vides in baptiſmo fieri, vbi aquam elementũ eſſe non dubitamus, quæ cũ ſignificet, manet. CHE. Non eſt neceſſe, vt elementũ maneat in Euchariſtia, vt in baptiſmo: Iã hanc ſimilitudinẽ negaui, & iterũ nego. MAR. Ego induxerã argumentum à definitione ſacramenti, quod ſcilicet eſt ſignũ, et ſignificãdi ratio. cũ

A definitione ſacramenti probatur manere. panis.

pertineat ad elemẽtum, vt maneat oportet, niſi velis naturã ſacramenti perire. Ad hoc nil reſpondes. Cumq; ſimile de baptiſmo induco, illud perpetuo negas, quaſi à nobis in vtroq; iſtorum ſacramentorum non percipiatur Chriſtus: Ibi regeneramur in Chriſto, hic in ipſo eodem paſcimur, ibi in vnum corpus nimirum Chriſti baptizamur, hic vno eius ſpiritu potamur, vt dicitur ad Corinth. & in baptiſmo Chriſtum induimus, vt habetur ad Galat. Sunt itaq; ſimilia hæc duo ſacramẽta. Neq; vt ſimilitudo negetur, id facit quod Chriſtus nõ dixerit, hæc aqua eſt corpus meum, vt dixit in Euchariſtia, hoc eſt corpus meum, quia huiuſmodi verba, vt vera ſint, non exigunt, vt natura panis abÿciatur, verum ea conſeruata, eſt adhuc veriſsimum quod Chriſtus dixit. Quid ergo te cogit, vt panẽ extrudas? CHEA. Verbis Chriſti cogimur, dicit enim Chriſtus, Hoc eſt corpus meum, et nõ dicit, hæc aqua eſt ſanguis meus. MAR. Mirum eſt, cum vos tantum tribuatis potentiæ diuinæ, vt ea dicatis fieri tot ac tãta miracula in tranſubſtantiatione,

Dicit ſe cogi uerbis Chriſti, cũ ſupra in *p*-

ſtantiatione, cur per eam etiam non valeatis, vel non uelitis perſuadere vobis, manere ſubſtantiam panis. Sed ad hoc vt detur corpus Chriſti, dicitis vos cogi ad panem tranſubſtantiandum. Hoc etiam erat diaboli cõſiliũ, vt Chriſtus ſi manducare vellet, prius lapides in panem conuerteret: Quaſi Chriſtus ex dei potentia non voluerit quiduis edere, & ex quacunq; re ſuſtentari. Vnde pulchre reſpondit: Non in ſolo pane viuit homo, ſed de omni verbo, quod procedit ex ore dei, ac ſi diceret, Ex lapidibus quoq; veſci poſſem, ſi vellem, & non opus eſſet vt eos conuerterem in panem. Si ergo ex omni re, per dei potentiam ali poſſumus, cur non etiã cum uero pane, licebit ſumere corpus Chriſti? CHEAD. Non de potentia agitur, ſed de facto, & ſi enim potuerit aliter fieri, attamen à Chriſto ſic eſt inſtitutũ. MAR. Adieci hæc de potentia dei, vt oſtenderem per eam nõ ſtare, quin panis manere poſſit, & tamen corpus Chriſti dari: nam à vobis illam audio mirifice prædicari, cum accidentia ſtatuitis abſq; ſubiecto, & putabam, illa

logo dixerit, non poſſe id probari expreſſe ſacris litteris.

Per dei potẽtiam ſtatuere nolũt poſſe manere panem & corpus Chriſti da ri.

eadem posse fieri, ut in sacramento panis maneat, sicut accidentia: Et vt extorqueam à uobis quæ sit necessitas auferendi panem, Nã quod abs te dicitur de facto, non constat, minime enim scriptura testatur, Christum voluisse panem abire. Quare non adhuc liquet vos cogi verbo dei ad panem extrudendum. CHE. Necessitas est ex verbo dei, & satis continetur in scripturis, nimirum in his verbis, Hoc est corpus meum: Et, Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. MAR. Hæc duo minimè pugnant, quod corpus Christi sit, & panis, nã cætera etiam sacramenta seruant elementũ, & rem sacramenti habent. Et quia prætexis verbum dei, Hoc est corpus meum, ego quoque sæpius ostendi verbum dei habere vtrumq; , & corpus Christi & panem. Quod si studiosi estis uerbi dei, cur nõ vtrũq; retinetis? CHE. Scripturam quidem admitto vtrumq; dicere, sed nego eum sensum quem tu facis, quippe verbum aliter docet, ideo hic non seruatur panis. Et panẽ adesse, derogat et maiestati, et potẽtiæ dei. MAR.

Verbum dei habet utrũque quod sit corpus Christi & panis.

Quod

Quod uerbum doceat panem adesse, iam antea è scriptura declarauí, quoniam Iesus accepit panem, Benedixit, fregit, et dedit, quæ omnia ad panẽ referuntur. Panemq́, si adsit derogare maiestati aut potentiæ Dei, nulla est ratio. CHEAD ZE. *Nego* CHRISTVM *dedisse panem, sed Corpus dedit. Et id quod demonstrat, antea fuit panis, sed ex consecratione factũ est corpus.* MAR. *Scriptura est apertißima, quæ habet Christum non solum accepisse, sed etiam dedisse. Quid accepit Dominus? Quid fregit? Quid dedit? non potes respondere, Nisi panem, si grammaticam constructionem retineas.*

Christus ut benedixit panẽ ita dedit panem.

Non derogat maiestati Christi panẽ adesse.

CHEAD. *Corpus dedit, & ab euangelista recitatur, factum non autem modus & ordo faciendi.* MART. *Ego non diffiteor vtrumq; dari, & corpus & panem sed vos vrgeo, qui negetis panem, cum velitis, nolitis, cogat vos grammaticus sensus fateri, quod panem dederit. Neque vox ista corpus refertur ad verba, accepit, benedixit, fregit, dedit, sed ad verbum, est. Attamen (vt dixi) non inficior dari corpus Christi, sed*

cum ſcriptura vtrumq; habeat, & panem & corpus, vtrumq; debetis concedere. Sed aliter agamus: Semper hac propoſitione vti mini, Hoc eſt corpus meum, ad probãdum, abÿciendum eſſe panem ex hoc ſacramẽto, at hinc non efficitur neceſſariò quod vultis, quandoquidem argumentum ſumitis ab ambiguo. Nam ſi induxerimus multas propoſitiones conſimiles, quæ tropicè tenentur, atq; (vt ita dicam) ſignificatiuè, non poteritis probare hanc non eſſe eiuſdem generis. Scribitur ad Corin. Petra autem erat Chriſtus. Et Chriſtus ait apoſtolus: Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt? Ac de circunciſione, Pactum meũerit in carne veſtra. Et de Ioanne, ſi vultis eum ſuſcipere, ipſe eſt Helias. Et cum iuſuflaſſet in eis, dixit, Accipite ſpiritum ſanctum. Et rurſus: Ego ſum vitis, ego ſum oſtium. De Ioſepho dixit Iudas: Frater noſter, & caro noſtra eſt. Paulus de Chriſto: Ipſe eſt pax noſtra, Et de nobis. Vos eſtis corpꝰ Chriſti. Habetur etiam, quod ipſe eſt lapis offenſionis, et petra ſcandali. Aſſeritq; Paulus euangelium eſſe

Argumentũ ſumũt ab ambiguo, cum argumentantur a uerbis, Hoc ẽ corpus meũ.

Propoſitiones cõſimiles illi, hoc eſt corpus meum.

esse vim dei ad salutem. Et in scripturis dicitur non semel, verba domini esse iustitiam, iudicium et veritatem. Et euangelium, idē apostolus testatur, infidelibus stultitiam esse. Spicæ septem in lib. Gen. sunt anni septem Et decem frusta pallij, sunt decem tribus Israel, vt ĭquit Ahias Silonites. Mulier quoq; defert in capite τὴν ἐξουσίαν, id est potestatē. Item comedebat sacerdos peccata populi: Et Christus pro nobis factus est peccatū. Agnꝰ vel sacrificium, est pascha: Et pascha nostrum immolatus est Christus: Ac infinita alia, quæ in scripturis habent cōsimilem formam, in quorum censu cum ista sententia, Hoc est corpus meum reponi debeat, et à vobis citetur simplici sensu, nequaquā concludit, quia innitimini ambiguo. Et cum vos dicitis cogi ex sacris litteris, adducitis in mediū verbum Dei controuersum, cuius tamē intelligentia patere potest ex alijs locis. CHE. Nego quod nitamur ambiguis. Nemo non cōcedit multos esse tropos in scripturis, omnia tamen negamus esse tropos. Neq; valet argumentum, Illic, & illic, tropi sunt, igitur &

hic quoq; eſt tropus. Sed vbicunq; eſt tropus, id circumſtantia loci docet: Hic nulla eſt circumſtantia, quæ hoc demonſtret. Et ſi verbum, eſt, vbiq; acciperetur pro ſignificat, Chriſtus non eſſet homo vere, niſi per ſignificationem. Cumq; dicitur: Verbum caro factũ eſt, interpretaremur ſignificat carnem, nec re ipſa verbum caro factum eſſet, quodq; habetur Deus erat verbum, interpretaremur quod ſignificabat verbum, atq; ita omnia confundentur. Quare cõcludimus nullum hic eſſe tropum. MARTYR. De Chriſto, an ſit deus & homo, clariſſima teſtimonia extant, quibus cogimur ſententias abs te modo inductas, accipere ſimpliciter. Vt autem hic tropũ ſtatuamus, adducimur ex verbis ſcripturæ, natura ſacramenti, & patrum teſtimonijs. Quo ad ſcripturam, illic habetur, Hoc facite in mei memoriam, & memoria non præſentium corporaliter, ſed abſentiũ rerum eſt. Additur, Donec veniam, quod non conuenit, ſi eò per conſecrationem tum veniret. Et Paulus dicebat, Panis quem frangimus, nonne communio corporis

Tribus cauſis tropum hic eſſe dicimus.

poris Christi est? Non autē conuenit corpori Christi vt frangatur, quandoquidem nūc propter eius gloriā est impassibile. Ait præterea dominus, ut acciperent et ederēt, quod absq; tropo non potest intelligi, si ad corpus Christi referas, nō enim cōuenit, vt dentib⁹ frangatur atq; cōminuatur, quod fit in uera & propria māducatione. Deinde vos ipsi cogimini tropū admittere, nā vestra sententia nota, nō est corpus Christi in Eucharistia, nisi post verba prolata. Vnde verbū, est, propria significatione nō potest accipi, dū ipsum profertis: prius enim oportet rē esse, quā ve rè possit de ea aliquid enunciari. Sunt præterea verba apud Lucā & Paulum, dicta ad calicem, in quibus non potestis tropum euitare, cum dicitur. Hic calix nouū testamentum est: quod nihil est aliud, quam significat nouum testamentum. Et in 6. cap. Ioan, Verba mea sunt spiritus & vita. Caro non prodest quicquam. Et meminit ascensionis suæ. Atque hæc de scripturis, mox de sacramento & patribus. CHEAD. Respōdeo illa verba, Hoc facite in mei memoriam, et

A scriptu ris proba tur trop⁹.

Donec veniam, non arguere tropum. Non est bonum argumentum. In memoriam alicuius rei quippiam fit, ergo res non est, aut nō manet. Visusq; est Christus potius illis uerbis commendare actionem, quam tunc peragebat coràm eis, vt nimirum id facerent, quod eũ feciſſe viderant. Quodq; addis, Donec veniam, intelligendum eſt humana forma, qua veniet ad iudicandum, quia nō ceſſabit hoc ſacrificium vſq; ad conſummationẽ ſæculi. Et ad ea quæ de fractione adiecisti ſic reſpondeo, vere corpus Chriſti fuiſſe fractũ in cruce, quando lancea latus eius eſt apertum, & frangitur quotidie ſpiritualiter in ſacramento, quando mortem eius annuncia mus. MAR. Nemini dubium eſt, Paulum, cum dixit, Panis quem frangimus nonne cō municatio corporis Chriſti eſt? ſignificaſſe illam viſibilem fractionem ſymbolorum, et ſacramenti diſtributionem, quam in cœna domini fieri videmus. Et quod ais, memoriã poſſe eſſe rei quæ maneat, & ſit præſens, falleris, quia natura eſt memoriæ vt ſit rei elapſæ, & quæ ſaltem minime ſit præſens, imò

præſentia

præsentia rei atq; illius memoria habent inter sese apertam antitheſin. Quæro deinde abs te, cur aſcenſionis meminerit. nonne ut à nobis intelligeretur non comedendus carnaliter? CHE. Aſcēſionis ideo meminit, quia verè in cœlum aſcendit, & verè ibi eſt, non quaſi eius præsentia non ſit etiam hic vera, haud quidem vt deuoretur, ſed vt accipiatur & comedatur, iuxta eius mandatum. Aſcenſionis cur memineret.

MAR. Certe non fuiſſet ad rem, aſcenſionis meminiſſe, niſi vellet notare, ſe de illo mā ducationis genere loqui, cui non obſtat corporalis rei abſentia. Sed quid tandem ad locum inductū dicis? Panis quem frangimus, nonne communio corporis Chriſti eſt? id ſi referas ad corpus Chriſti, non frangitur, hoc enim pani competit, & ad corpus Chriſti transferunt per tropum. CHE. Ita ſumendum ibi, panem frangi, vt eodem loco dicitur, Multi ſumus vnus panis, nimirum tropice, nam ſi panis priori loco ſumeretur pro naturali pane, in ſequenti loco item acciperetur, & ita nos omnes eſſemus panis naturalis, & ſubſtantia noſtra eſſet ſubſtan-

tia panis, si vis argumentari à natura panis in priori parte. MAR. Ego tantum ostendere volui, quod non potestis defendere vos in communione frangere panem, quando illum inde aufertis, & potissimum si accipiatis panem pro corpore Christi tropice, vt ipse quoq; nunc fateris. Nam vis eodem modo sumi vt postea cum dicitur: Multi sumus vnus panis, & tamen allegorico pani, vides non posse conuenire proprie, vt frangatur. Quare ob tuam transubstantiationem, cogeris bis ibi tropum fingere: primum, vt panem allegoricum vtrobiq; intelligas: alterum vt fractionem figurate accipias, et ita qui aduersaris tropos, semper in illos incidis. Ego vero in eo loco panem proprie accipio, & cum dicitur, multi sumus vnus panis, interpretor, quo ad significationem, nõ quo ad substantiam. Vt enim panis est vnus, et constat ex multis granis, uel sicut est vnus, & fit in multas partes, sic nos & vnum sumus, atq; etiam multa membra, & ita panem vtrobiq; eodẽ modo sumo. Tropus autẽ est in verbo, sumus. Huc accedit, quod si vis panem

Explicatur locus Pauli.

panem accipere qui frangitur, ut postea cum dicitur, multi sumus unus panis, per tropum cogeris intelligere corpus mysticum, id vero quomodo frangetur? Cumq; sis tam facilis ad tropos, non video, quid te adeo grauet tropum admittere in propositione, quam habemus præ manibus, Hoc est corpus meum. Verum de secundo. Quomodo abhorretis à tropo, cum sacramentum hic instituatur, et sacramẽtis tropi sint familiarissimi? CHE. Non prorsus hic negamus tropum, quia non est panis quod tractatur, sed panis appellatur, atque id per tropum, verum in verbis sacramentalibus, vel consecrationis, negamus tropum esse, quia nulla circumstantia hoc docet. MAR. Quomodo in verbis sacramentalibus potestis negare tropum esse, cum aperte ad calicem dicatur: Hic calix nouũ testamentũ est? vbi si tropum cõceditis, cur absurdũ est, vt tropica sit & altera pars, quæ ad panem dicitur? Et miror te hic nullã circumstantiã agnoscere, cum superius multas ostenderim, quas dissimulando præterijsti. CHE. Nõ sequitur quod dicis. Nã hic

A natura sacramenti probatur tropus.

ad calicem circumstãtia nos cogit, vt fatamur tropum, nil vero cogit in altera parte. Deinde quod Lucas et Paulus dixerunt tropice, alij duo Euangelistæ simpliciter dixerunt, videlicet: Hic est sanguis meꝰ. MAR. Non obstat, quod ais, Matthæum & Marcum simpliciter protulisse: Hic est sanguis meus, quia & illa verba quæ sunt apud Lucam & Paulũ, quomodocunq; posita sint, oportet vera esse: quod si tropus non adhibeatur, minime continget. Atq; in priori sententia tropum esse non solum probant scripturæ sanctæ, natura sacramenti (vt dixi) verum & patres item id confessi sunt. Quid tu abhorres tantopere? Tertullianus enim dixit. Hoc est corpus meũ, id est, figura corporis mei. Augustinus item in psalmo 3. ait, Christum dedisse figuram corporis sui. Et cõtra Adimantum Manichæum: Non dubitauit dicere, Hoc est corpus meum, cum daret signum corporis sui. Et hieronymus ait cum Tertulliano, Christum repræsentasse corpus suum: ac talia testimonia sunt innumera, quæ omnia indicãt eos admisisse tropum

Ex partibus probatur tropus.

Diuertit ab argumẽto q̃ erat. Patres i uerbis quæ

pum in verbis, quæ ad panem dicuntur. CHEADZEVS. Verũ est, quod Tertullianus & Augustinus dicunt figuram esse, sed rem ipsam non excludunt, ita vt idem sit figura, & figuratum. Quemadmodum ad Hebræos: Filius est imago substantiæ patris, & tamen est idem quod substantia patris. Quod si ibi dixeris, est figura substantiæ patris, ergo non est substantia patris, aperte vides argumentum non tenere sic in præsentia dicere, est figura corporis Christi, igitur nõ est corpꝰ Christi, haud sequitur. MAR. Quã id sequatur, aut nõ sequatur, nunc minime disputamus, sed tantũ id contenditur, patres in ea loquutiõe, Hoc est corpus meũ, tropum agnouisse, quod indicant eorum verba, quando figuram & representationem subinde inculcant. Et de doctrina Christiana, ac alibi, apertissime, testatus est Augustinus, loquutionem de manducatione corporis Christi, figuratam esse, quod ergo tu negas, ille disertissimè asserit: & quod inducis idem esse figuram et figuratum, aliud est ab instituto proposito, nec tamen id facilè

dicuntur ad panem agnoscere tropũ.

A nidem sit figura & figuratum.

probabis. Vnde ad locũ in epiſt. ad Heb. quod filius appelletur figura ſubſtantiæ patris, Dico Paulum illic de filio agere, quatenus homo eſt, & hoc pacto figura eſt, et non ſubſtãtia patris. Per antonomaſiam quippe habet, vt ſit imago patris, et ei nobilius id cõuenit, quã cæteris hominibus, Verba epiſtolæ, ſic habent. Multifariã, & multis modis, loquutus eſt olim Deus patribus in prophetis, Nouiſsime aũt loquutus eſt in filio. Quod ſi filiũ intelligas quo ad diuinitatẽ, tam bene per illum eſt loquutus Deus per prophetas in veteri teſtamẽto, quã noſtris temporibus loquutus ſit nobis: in hoc autem diſcrimen eſt, quod nunc per humanitatẽ id fecit, quod antiquitus non eſt præſtitum. Attamen ſi contẽderis omnino iſtã loquutionem de perſona diuina intelligendã, adhuc non conſequetur, idem eſſe figuram et figuratum, nam habent uerba græca χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, & quod noſter interpres abſolute dixit ſubſtantiã, græce eſt ὑπόστασις. Cumq; perſona filij nõ ſit perſona patris, optime poteſt filius etiam quoad diuinitatem, dici figura hypoſtaſeos

Excutitur locus ad Hebræos

ſtaſeos patris, neque propterea ſequitur, idē eſſe figuram & figuratum, nam inter perſonas eſt (vt loquuntur) realis diſtinctio.

CHEADZEVS. Reſpondeo illud in ſcripturis commune eſſe, vt idem adſcribatur humanitati, quod eſt diuinitatis, & è contra. Vt, Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo. cum tamen filius hominis non deſcenderit de cœlo. Et Paulus: Nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent. igitur Chriſtus & ſecundum humanitatem, & ſecundum diuinitatem, dicitur imago ſubſtantiæ patris. Nam ſi hoc ei conuenit per vnam naturam, poteſt ei attribui ſecundum alteram, per cōmunicationem idiomatum. Huc accedit, quod Chriſtus quatenus nudꝰ homo, non poteſt dici imago ſubſtantiæ patris, nam tum & ego & omnes aliæ creaturæ diceremur, imagines ſubſtantiæ patris, igitur ſecundū quod Chriſtus eſt figura, et figuratū dicitur. Et ad Tertul. reſpondeo, eum in Martionē ſcribere, qui ponebat Chriſti corpꝰ eſſe phantaſticū, fatebatur aūt in Chriſto

figuram corporis humani, vnde Tertullianus arguebat ex conceßis à Martione, Argumentum ſic inducebat. Quod eſt phantaſticum, non habet figuram, vt concedebat Martion, ergo Chriſtus verum corpus habuit, & non phantaſticum, fuitq; iſte ſcopus Tertulliani, & ex neceßitate ſic arguebat, vt confunderet hæreticum, & erat uio lenta collectio. Vnde hic in ſumma eſt ſenſus Tertulliani. Chriſto figuratum & phantaſticum corpus attribuebat, & in ſacramento tamen non negabat eſſe corpus Chriſti, id eſt figuram corporis, hinc arguit figuram non eſſe corporis, niſi etiam verum corpus extaret, quia non eſt figura niſi veritatis. MAR. Quod ad primum, ego nunquã negaui communicationem proprietatum in duabus Chriſti naturis, per quam concedo id quod dicitur de vna, & alteri poſſe attribui: ſed tamen dico eſſe diligenter excutiendum, quãdo tales communicationes occurrunt, quo ad quam naturã id dicatur, quod audimus pronunciari, vt in vtroq; tuo exẽplo apparet. Cum enim filius hominis dicitur è cœlo

Cõmunicatio idiomatũ admittẽda, ſed in ea diſtinguẽdũ ẽ quo ad intelligentiam.

è cœlo descendisse, loquutionem recipimus, verum secundum diuinitatem id concedendum esse confitemur. Et dominũ gloriæ crucifixum fatemur, testamur attamen hoc illi dari propter humanitatem: Ita ego in illo loco ad Heb. concedo Christum imaginẽ esse substantiæ patris, sed pro vt res ibi tractatur, asserebam iuxta humanitatem id esse dictum: quoniam ante redemptionem deus loquutus erat patribus in diuinitate Christi, nouissimis autem temporibus loquutus est per filium, videlicet humanitate indutum. Quod etiam si omnino velles hoc diuinitatẽ respicere, relegaui te ad textum græcum, ex quo poteras commodè intelligere discrimen inter figurã & figuratum. Quod verò adijcis, tunc illum non magis quam me aut aliã creaturam fore ad imaginem Dei: nego consequutionem, quia sicut inter omnes homines est excellentissimus, ita etiam inter eos est præcipua imago Dei. Neque dixi hoc illi conuenire, quâ purus homo, quis enim non uidet humanitati Christi non conuenire tantam excellentiam, quantam eam videmus

habere, nisi quia diuinitatem habet coniunctam? Quo ad Tertul. Agnosco quod dicis eum ibi argumentari cõtra Martionem, sed non eo pacto, vti tu recitas argumentum. Agit enim cum illo ex manifestis, & publicè confessis, in quibus etiam nõ audebat hæreticus à communi sensu ecclesiæ desciscere, nimirum quod hoc sacramentum esset figura corporis Christi. Et arguit: Rei phantasticæ non est figura, nam figura rem veram significat, sed hoc sacramentũ est figura corporis Christi, ergo corpus Christi nõ est res phantastica, quandoquidem habet hoc sacramentum pro sua figura. Et tu nosse debes, ad hoc, vt figura non sit inanis, requiri, vt aliquid veri repræsentet. Hic facilis & lucidus est intellectus verborum Tertulliani: quod vero tu affers, collectionem esse violentam, & huiusmodi aliena sunt. Et si ita voluisset argumentari Tertulianus, nõ oportebat eucharistiam producere: satis ex verbis Martionis conficere potuit, quod volebat, dicendo: Cum tu fatearis id quod gestauit Christus, figurã esse & phantasma corporis.

Declaratio Tertulliani.

poris. Et figura nõ poßit eſſe, niſi rei alicuius quæ verè extet, hinc efficitur eſſe verũ corpus, quod Chriſtus aſſumpſit. Quare mentio euchariſtiæ ſuperflua eſſet, ſed iuxta meam ſententiam, perſpicue concluditur: Euchariſtia (vt omnes fatentur) eſt figura corporis Chriſti, igitur corpus Chriſti eſt verum, alioquin figuram non haberet. CHEAD. Reſpondeo vt ſupra. Primum, quod Chriſtus quatenus purus homo non magis poteſt dici imago ſubſtãtiæ patris, quam aliæ creaturæ. Et quo ad communicationem naturarum, idem CHRISTVS eſt & figura & figuratum. Et ad Tertulianum rurſus dico, figura eſt, ſed non tantum, verum etiam ipſa res, verba Chriſti neceſſario cogunt. MART. Dico hic nullam eſſe coactionem à verbo Dei, quin debeat vtrumq; dari, & panem eſſe & corpus Chriſti. Nunc autem docebo, quia tu dicis non eſſe figuram tantum, ſed rem ſimul, ſacramentum hoc eſſe ſignum rei, quæ ſecundum præſentiam ſubſtantialem ac realem abeſt. Ambroſ. lib. 4. de ſacrament. cap. 4. Sicuti ſimilitudinem

Euchariſtia eſt ſignum rei quæ ſubſtantialiter corporaliter & realiter abeſt.

Loc. Ambroſij de ſimilitudine mortis & ſanguinis.

mortis sumpsisti, ita similitudinem præcioſi sanguinis bibis. Nullus autem dubitat, mortem Christi non esse præsentem realiter in hoc sacramento, & tamen dicitur ita bibi similitudo sanguinis, vt similitudo mortis. CHEAD. Gaudeo te tantum tribuere Ambrosio, ille totus mecum facit, vt constat ex illis libris de sacramentis, & ex isto ipso capite, & his verbis quæ tu citas. Statim enim subiungit: propter horrorem cruoris, datam esse hanc similitudinem. Quod si antecedentia & sequentia expendantur, videbitur longe aliud velle, quã tu profers. Hic enim scopus est Ambrosij, vt doceat in Eucharistia repræsentari mortem Christi, ut sicut credis Christum pro te mortuum, sic eius sanguine peccata tua lauari credas. De substantia autem symbolorũ manente nulla est mentio. MAR. Iactas Ambrosium totum esse tuum, hoc postea cognoscam in obiectionibus quas mihi facies. Sed quod attinet ad hunc locum, apertissimè dicit: quod sicut illa est similitudo mortis, ita hæc est similitudo sanguinis. Et hinc satis habes

bes manere ſubſtantiã panis, quãdo res quæ ſignificatur, ſubſtãtialiter et realiter eſt abſens: Sicuti mortem Chriſti ſcimus non eſſe præſentem quando communicamus, niſi annunciando & cõmemorando illam. CHE. At non dicit ſimilitudinem eſſe tantum, nã alijs locis, apertis verbis docet, naturalem mutationem panis & vini. MAR. Nihil moror particulam tantum, ſiue exprimatur ſiue non exprimatur, quia rem denotari abſentem in ſimilitudine inducta, ſatis aperte continetur. Et dabitur tempus, ut iſtam mutationem poſitam ab Ambroſio, excutiamus, cum deſcendero ad reſpondendum tuis obiectionibus. Attamen vt intelligas, quam aperte agnoſcãt patres tropum in iſto loco, citare viſum eſt Auguſt. contra Adimant. Manichæum: Non dubitauit Chriſtus dicere, Hoc eſt corpus meum, cum daret ſignum corporis ſui. CHE. Agnoſco hæc verba eſſe Auguſtini, & docebo qua ratione inductus iſta ſcripſerit. Manichæi omnes inimici fuerunt veteris Teſtamenti. Et cum legamus in Deuteronomio, Anima eſt ſanguis,

Redeoad ſtatũ quæſtionis ut probem tropũ ex patribus.

Auguſtinus ait Chriſtum dediſſe ſignum corporis ſui.

hoc dictum Adimantus conuellebat, quasi pugnans cũ nouo Testamento, opponebatq; ei. Nolite timere eos, qui occidũt corpus, animam autem non possunt occidere. Aiebat Adimantus, Quoties funditur sanguis et cõculcatur, toties anima patitur has iniurias, Si est sanguis: quare non rectè diceretur, quod animam homines non possent ledere? August. respondet duplici ratione. Prima, Sanguinem in Deuteronomio appellari non animam hominis, verum pecoris. Secundo ait: Quid si etiam dicam hoc intelligendum esse secundum certum loquendi modum, & de anima humana, quemadmodum Christus nõ dubitauit dicere, Hoc est corpus meum, cum daret signum corporis sui? Et hoc volebat, quod quemadmodum latenter in hoc signo est reale corpus Christi, ita in sanguine est anima: & vt sanguis est signum animæ in se latentis, ita species est signum corporis, & hoc signum propter præsentiam latẽtem, vocatur corpus Christi. MART: Non habet hæc August. quod corpus Christi, scilicet, latenter sit in speciebus panis et vini,

vini, tu hæc affingis: supra contendebas idem esse signum & signatum, figuram & figuratum: Nunc, dices ne, sanguinem idem esse cũ anima? Certe velis nolis sunt duæ substantiæ, nec vna ab altera tollitur, vt vos hic de pane fieri statuitis. Deinde sanguis, quando est signum animæ in corpore manentis, oportet vt videatur, sitq; extra corpus animantis, & tunc ibi non latitat anima. Et de illo debet sermo fieri, de quo scriptura prohibebat, ne ederetur, is autem erat separatus à corpore, non enim aliter comedi potest, quod tum in lege prohibebatur, cum ista dicerentur: Sed de hoc quicquid sit, nunc mittamus. Id saltem habeo, quod concludam, signum non esse signatum, neque figuram figuratum, in hoc sacramento, quod supra tam uehementer contendebas. Etenim sanguis, qui signum ponitur animæ, nunquid est anima? Ita et quod Christus dabat, cum hoc pacto dicat Augustinus fuisse signum corporis domini, tam est corpus domini, quam sanguis est anima. CHEADZEVS. Respondeo, Similitudinem non eo tendere,

Euincitur signũ non esse signatum, sicuti sanguis nõ est anima.

sed vt doceat, quod quemadmodum latenter est anima in sanguine, ita latenter est corpus CHRISTI in specie tus panis & vini, & ipse contextus eò tendit. Nam vt in hoc visibili continetur corpus Christi, ita in illo visibili cõtinetur anima, non autem per omnia quadrant similia. MAR. Mihi maxime videtur eò spectare quò dicebam, vt asserat: Quemadmodum illic sanguis est anima, ita hic panis est corpus, nunquam latẽs vel non latens dixit August. hæc post abs te assuta sunt: Is voluit ostendere phrasim esse scripturæ, qua liquid esse dicatur illud, cuius fuerit signum, tametsi ab eo sit res distincta atq; diuersa. CHE. Etiam si non dicat August. eò tamẽ tendit similitudo, corpus enim ita est latenter in signo, quemadmodum anima in sanguine. MAR. Hic ego non video eum aliud attingere, quam hanc esse phrasim, & loquutionem scripturæ, qua nomen signati signo tribuitur.

Iusserunt

IVSSERVNT DOMINI

Legati, vt ageretur in secunda quæstione.

AN CORPVS CHRISTI substantialiter & carnaliter sit in pane & uino, uel sub accidentibus panis & uini.

ARTYR. Christus accepit panem, Benedixit, fregit, & dedit discipulis suis, dicēs, Hoc est corpus meum. Ex te quæro, vtrum corpus illud passibile fuerit, vel impassibile? Passibile non erat, nam August. super psal. 98. habet: Non hoc corpus quod videtis, estis manducaturi, neq; sanguinem quem illi effusuri sunt, bibetis, neq; etiā conuenit aut fieri potest, vt corpus nostræ conditionis atq; passibile conijciatur in tantillum panem. Quod si dixeris corpus datum fuisse impassibile, primum id non facilè admittetur, cum ipse Christus tunc nō habue-

An corpus Christi datū in coena, fuerit passibile aut impassibile.

rit corpus impaſsibile. Deinde verba Euangeliſtæ ſe opponunt: dicitur enim, Comedite, Hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis traditur. Conſtat autem paſsibile fuiſſe illud corpus, in quo Chriſtus tradebatur. Neq; admitti debet idem corpus pro eodẽ tempore, fuiſſe paſsibile & non paſsibile, quandoquidem iſta contradictorie opponuntur: igitur non dedit ſubſtantialiter et realiter corpus ſuũ, non enim potuiſſet abſq; altera iſtarum conditionum tradi. CHEAD. Reſpondeo corpus illud ſub ſpecie panis erat impaſsibile. Et concedimus eodem tempore, reſpectu tamen diuerſo, & paſsibile fuiſſe & impaſsibile. Nam hæc accidentia ſunt, quæ diuerſo reſpectu ſimul adeſſe & abeſſe poſſunt. Contraria verò & oppoſita requirunt eundem reſpectum. MAR. Accidentia hæc eſſe non dubito, cæterum quod contraria ſiue cõtradictoria pro eodem ſubiecto, & eodem tempore, ſimul affirmari poſsint, abſurdum eſſe ſtatuo. Quod vero tu ais diuerſo reſpectu, nihil te iuuat. Nam in relatiuis hoc poſſet aliquid eſſe, puta quod idem valeat ſimul dextrum

Vere oppoſita nõ poſſunt eſſe ſimul ĩ eodẽ ſub iecto.

xtrum & ſiniſtrum dici, magnum & paruum: ſi comparetur ad diuerſa, eſt verum. At nos agimus in præſentia de qualitatibus abſolutis, videlicet de ſtatu & conditione corporis Chriſti, an ſit paſsibile, vel impaſsibile, & iſta duo ſimul, & pro eodem tempore fuiſſe negauimus, propter rerum pugnãtiam. Et verba Euangeliſtæ contrahunt ad ſtatum paſsibilem. nam ſtatim ſubditur, Quod pro vobis tradetur. CHE. Relatiuum, Quod, notat ſubſtantiam, quod non ſit alia ſubſtantia ſub ſpeciebus panis & vini, quam illa quæ pro vobis tradetur, non autem qualitatem, paſsibilem, in quam vel impaſsibilem. MAR. Sed cum hic velis relatiuum, quod, ſubſtantiam referre, ita vt ſit ſenſus, hoc Corpus quod accipitis, ſubſtãtia quidem eſt, idem cum eo quod pro vobis tradetur, conditione autem vel qualitate nõ cõuenit. Hac tua ex poſitione admiſſa, quæro ex te, quomodo mihi interpretaberis inductam Auguſtini ſententiã, Non hoc corpus quod videtis comeſturi eſtis? Accipiatur hic quoq; relatiuũ, quod, vt ſubſtantiã.

Accipitre latiuũ qđ p ſubſtantia.

referat, veluti contendis faciendū apud Euā gelistam, & videbis quid sequetur, nimirū substantialiter nos CHRISTVM nō comedere. Vel si volueris apud Augustinum, Quod, referre qualitatem, patiaris & me ita pro qualitate verba Euangelistæ intelligere, & quod tibi permittis, mihi negare nō debes. CHEAD. Apud August. Relatiuum, quod, qualitatem denotat, non substātiam, atque id respōdere cogimur, quia is loquitur de corpore quod videbant, nō autem videntur nisi accidentia, ipsa quippe substantia non videtur. Deinde quæ August. dicit, spiritualiter intelligenda sunt, non carnaliter quemadmodum Capernaitæ, qui putarūt carnem Christi comedendam, veluti si ex macello empta fuisset. Et est ac si diceretur, Nō comedetis in humana specie, verum sub alia forma, nimirum panis cōmunis, ne horreatis carnes. MARTYR. Multa audiui, neque tot interrogaueram. Quæstio erat, de hoc relatiuo, Quod, nam vis ipsum pro tuo arbitrio accipere, modo vt substantiam referat, modo qualitatem. In Euangelista ap-

Modo relatiuū qđ accipit quasi referat qualitatem.

plicas

plicas ad ſubſtantiam: In Auguſt. refers ad qualitatem, idq; facis pro cõmodo tuo, atq; tantum ea de cauſa, vt eludas argumenta. *CHEA. In Auguſt. idcirco variaui quia voces ſumendæ ſunt, quemadmodum à doctoribus proponuntur. Cumq; Auguſt. dixerit, non hoc corpus, quod videtis, ô Capernaitæ comeſturi eſtis, neceſſario ad accidentia & qualitatem confugio, quæ referatur: quia iſta videtur, non autem ſubſtantia.* *MART. Non te iuuat hæc ſtropha: quia ſequitur in Auguſtino. Neque bibituri eſtis ſanguinem quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. Hic iam non loquitur de ſanguine vidēdo, ſed effundendo: & nemo dubitat ſubſtantiam ipſam ſanguinis effuſam fuiſſe, non tantum accidentia. Quare vt quod relatiuũ ſubſtantiæ refert qualitatem, non habes rationem, niſi quia libet.* *CHEAD. Senſus Auguſtini fuit: Sanguinem meum non bibetis ſub ea ſpecie & forma, qua illum effundebant Iudæi, verum ſub ſpecie vini in ſacramento.* *MART. Tu ſic interpretaris, & interim nihil reſpondes, de licentia qua*

Ex uerbis Auguſtini probatur particulã. (Qđ) accipiendam pro ſubſtãtia.

abuteris in his relatiuis permutandis ad tuũ commodum. Sed ad caput argumẽti redeo, quo dicebam idem Christi corpus, non fusci pere pro eodem tempore tam oppositas qualitates, vt est passibile, & impassibile, confugiebas ad diuersos respectus. At quam id prosit in ista causa de corpore Christi, audi Vigilium lib. 4. contra Eutychen: Quoniam vna natura contrarium quid, aut diuersum non recipit in seipsa. Diuersum est autem, et longè dissimile, circumscribi loco, & vbiq; esse: quia verbum vbiq; est, caro autem eius vbiq; non est. Vides itaq; hunc eruditissimũ patrem negare, quod eidem naturæ conuenire possit, circumscribi loco, & non circumscribi. Vnde vnum istorum tribui vult diuinitati, alterum uero humanitati, eo quod natura humana vtriusq; non sit capax. Quod si locus esset suffugio tuo de diuersis respectibus, ab eo inutiliter diceretur. Nam obiceret quispiam illi. Natura humana Christi, vno respectu est circumscripta, vt vos dicitis, qua est in seipsa, vt vero in Eucharistia, est incircumscripta. Sed quia circumscriptum

ſcriptũ et incircumſcriptum, quemadmodũ paſsibile et impaſsibile, ſunt abſolutæ qualitates, ideo quocunq; reſpectu agas, idem corpus nõ poteſt vtramq; ſimul, & eodem tẽpore conditionem ſubire. CHE. Non concedo corpus Chriſti eſſe in diuerſis locis localiter, ſed dico eſſe in diuerſis locis per accidẽs, quia ſcilicet ſpecies, in quibus continetur, ſunt in diuerſis locis. MAR. Hoc à me non agebatur ex Vigilio citato, vt nunc quæreremus, an corpus Chriſti ſimul ſit in diuerſis locis, ſed tantum vt oſtenderem eum confirmare, quod aſtruxeram, vnam eandemq; naturã ſimul eodemq; tempore ſuſcipere contraria eſſe impoſsibile: neque id adiuuare quod dicebas, id fieri diuerſo reſpectu, quando illæ contrarietates abſolutæ ſunt, neque tractatur de relatiuis, ſed natura in ſe ipſa conſideratur. Attamen quia tu inde recedis, & mihi proponis te ſtatuere corpus Chriſti ſimul eſſe in diuerſis locis, atque id non localiter, ſed per accidens, quia ſpecies continentur diuerſis locis. Huc quoque ad te deſcendo, & aio hac tua diſtinctione,

vestram causam non releuari: Nam corpus Christi neq; localiter, neq; non localiter, po test esse in multis locis, quandoquidem creatura est, & res definita, & audiuisti à grauissimis testibus, nulli creaturæ dari, imò neq; angelis, vt sint in multis locis simul, qui tamen in loco nõ sunt localiter, carent enim corporea mole. Deinde adfers noua & inaudita, cum in prophanis, tum in sacris literis, quod corpus in aliquo loco sit & non localiter, hoc enim est dicere, corpus & non corpus. CHEAD. Hæc ideo accidunt, quia Christus in sacramento non habet corpus quantum. MAR T. Hoc illud est quod expectabam, vt rei perageremini, non solũ furti, sed etiam sacrilegij: pani surripitis iniuste suam substantiam, & nunc corpus Christi sua quantitate expoliatis. CHEAD. Nõ solum corpus Christi, verum etiam corpora nostra post resurrectionem glorificabuntur, eruntq; immortalia, & sine quantitate. MAR. Non possum satis mirari, quomodo hæc dicatis. Nonne videbitis quod auferendo quantitatem ab humano corpore, ipsum tollitis?

Dicunt corp. nõ esse quantũ in Eucharistia.

Fures & sacrilegi.

tollitur? est enim organicum, cum sit animatum, oporteq; vt multa membra & partes habeat, quæ sine mole & quantitate consistere non possunt. Vnde bene consequitur, quantitate sublata ab humano corpore, ipsum etiam extingui. CHEAD. Nego argumentum. MAR. Vbi ergo collocatis verum Christi Corpus cum sua quantitate CHEAD. Est in cœlo, ut in loco. MAR. Igitur non ponitis verum Christi corpus in sacramento. Nam si est illic absq; quantitate, substantia quidem esse posset, verum nõ humanum corpus, nã id est diuersarum partium, atq; organicum, quæ semota quantitate, locum non habent. CHEAD. In sacramento verum corpus Christi ponimus, sed non, quantum, nec ut in loco. MAR. Si careret loco & quantitate, quando est sub vestris speciebus, tunc erit substantia spiritualis, quia corporea substantia, et incorporea, distinguuntur mole, quanto, & non quanto. Neq; spiritus dimẽsiones habent, vt corpora, quod Christus confirmauit, cum diceret: Spiritus carnem & ossa non habet.

CHEAD. Admitto corpus Christi esse quid spirituale, quia sensus de eo nō iudicat, sicuti potest iudicare de cæteris corporibus quantis. MAR. Hic non ago de corpore Christi, pro vt sensu percipitur, vel nō percipitur, neq; de captu nostro, sed loquor de eo, vt est in seipso. Et affirmabam, oportere quantum esse, molemq; habere, alioquin esset substantia incorporea, & prorsus reponeretur in genere spirituum. CHE. Tractamus hic de præsentia corporis Christi in sacramento, quā ponimus quo ad rem ipsam & eius substantiam, non autem curamus de accidentibus corporis CHRISTI, id est, de quantitate & dimensionibus, an adsint vel non adsint. Et quo ad argumentum tuum, dico inualidum esse. Non enim sequitur, Hoc Corpus non est sub ijsdem qualitatibus, & quantitatibus, ergo non est idem Corpus. Et CHRISTVS modo in cœlo non habet easdem qualitates, quas hic habuit, ergo non habet idem Corpus: non valet argumentum. Si enim omnes illæ qualitates quæ erant in corpore CHRISTI, require-

quirerentur nunc in sacramento, ad hoc, vt idem esset Corpus, sequeretur nunc non esse in cœlo eundem CHRISTVM qui crucifixus erat. Nã modo ei non insunt hæ qualitates, quas habuit in cruce, vbi effudit sanguinem, & passibilis erat. Mutatus est itaq; modus eius, ille autem semper idem manet. MART. Deus bone, hic tu omnia varias, & tempora, & accidentia, de quibus agimus. Quis enim hic negauit Corpus Christi, successiue esse posse sub diuersis qualitatib⁹, nec requiri, vt semper easdem habeat? Quis nesciat eum modo habere alias qualitates, quam habuerit in cruce? Quod supra contendebatur, id erat: non posse simul & eodem tempore passibile & impassibile, mortale & immortale, corpus existere, & modo cum agatur de mole & quantitate corporis, nescio quomodo sis ad qualitates delapsus. Tu respondebas, ideo corpus Christi posse adesse non localiter, eo quod non esset in Eucharistia quantum, aduersus quam sententiam, argumentum meum erat, corpus physicum & organicum, quale

oportet humanum esse, auferri & omnino perdi, si dematur ei quantitas. Ad hoc nihil est responsum. CHEAD. De qualitatibus, quas ego dico non oportere easdem esse in corpore Christi, vt idem sit: verum est, quòd muto tempora, sed tu mutas etiam modum, & perinde est de modo atque tempore: vnde si ego pecco mutando tempora, tu item peccas tuo argumẽto, mutando modũ. MAR. Ex his quæ dicis, nulla ad argumẽtum elicitur solutio: nam vt loqueris, statuis eodem tempore Christum in cœlo esse cum quantitate circumscriptum, et in loco: In sacramento autem non circumscriptum, sine quantitate, & absq; loco, & tam contraria in eadem natura Vigilius docuit non posse recipi. Quod si varius modus (vt tu asseris) facit possibile, vt in natura eadem recipiantur, simul & eodem tempore tam diuersa, iam vicit Eutyches, neq; Vigilius aduersus illum concludit: dicet enim corpus Christi quo ad seipsum, circumscriptum esse, qua vero transit in diuinitatem, esse incircumscriptum, quoad suam naturam esse finitum,

tum, vt in diuinitatem trāsit, infinitum. Et sic aduersus illum frustra Vigilius laborauit. CHE. Imò hoc docuit: quod ego dixi, tantum plura loca negat corpori eodem modo sumpto: & profectò corpus aliud est in substantia, aliud in quantitate: Quod si quis te roget, an Quantum, sit de natura substantiæ, opinor negabis. MAR. Non velim haberi tam rudis, quasi prædicamenta non norim, scio quantitatem posteriorem esse substantia, non tamen sequitur, vt quæ metaphysica ratione sunt à se inuicem discreta, possint, quo ad existētiam, in natura à se inuicem separari. Quare adhuc perstat argumentum in suo robore. Corpus animatum quod habet organa & membra, quæ naturæ animatæ conueniant, non posse existere sine quantitate, & certo loco. Quod si vos nunc alium modum (vt loqueris) obtruditis, figmentum est à vobis repertum, vt hoc argumentorum genus eludatis. CHE. Verum est de corpore Christi in cœlo, quod sine quantitate atq; suis organis esse non possit, non tamen in sacramento idem concedo,

vbi nihilominus vnum est secundum substantiam cum eo quod est in cœlo. MAR. Ista sunt, quæ attuli tam aperta, vt amplius circa ea me laborare non oporteat, nisi tu nouta liquid adferas.

HIC INTERPOSVIT QVAEdam argumẽta Doctor Carterouitus, rogauitq́, ut id sibi liceret, quod & D. Cancellarius permisit.

An mali sumãt corpus Christi.

CARTERO. Ne in te dicatur clarissime doctor quod ait de Christo scriptura, Torcular calcaui solus. ad ornatum huius scholæ, partem laboris decreui subire. Si esset transubstantiatio, mali quoq; sumerent Corpus Christi: non autẽ sumunt, ergo non datur transubstantiatio. CHEA. Nego minorem. CAR. Ex sexto Ioan. Qui manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinem, in me manet, sed mali in Christo nõ manent, igitur non manducant corpus Christi. Et August. in hunc locum ait: Hoc est manducare Christum, illum manentem in se habere.

habere. vnde patet, cum mali Christum nõ habeant in se manentem, eum non manducare. Et Paulus 2. ad Cor. Qui manducat panem hunc, et bibit calicem Domini indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Ecce illos dicit panem manducare, non corpus Christi. CHEAD. Ad verba Ioannis dico, ea intelligi de his, qui digne mãducant, tunc enim verum est, Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo. Augustl. autem loquitur de effectu sacramenti. Et Iohannes non intelligit, quisquis manducat, sed quicunq;, quo modo debet manducat, in me manet, & ego in eo. Et tales loquutiones reperiuntur in scripturis. Nam apud Iohannem, Interrogauerũt discipuli Christum: Quis peccauit, hic an parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondet Christus, neque hic peccauit, neque parentes eius. Quod sanè est contrahendum, non enim negat simpliciter peccasse, sed negat propter eorum peccata, hunc factum esse cæcum. ita hoc in loco Ioannes: Qui manducat meam carnem, & bibit meum

ſanguinem, manet in me, & ego in eo, accipit de illis, qui dignè manducant. Et Augu. non negat malos manducare, ſed tamen docet effectum veræ & dignæ manducationis. Et locus à Paulo citatus expreſſis verbis, & dignæ, & indignæ manducationis meminit. CAR. Negare ſubſtantiam panis manere, eſt negare ſacramentum, nam ſacramentum eſt ſacræ rei ſignum. CHE. Dico manere ſignum, ſpecies inquam panis & vini, quæ repræſentant æquè ſignata, ac ſi maneret eorum ſubſtantia, nam ſignificant nos vnum eſſe in Chriſto, & ab eo ſpiritualiter nutriri. CAR. Imò ſimilitudo inter ſignum & ſignatū hæc eſt, quod quemadmodum panis nutrit corpus, ita caro Chriſti nos nutrit. Quid vero ad hoc faciunt veſtra accidentia? vt rotunditas, color, & alia huiuſmodi.

In ſecunda quæſtione.

CAR. Quoniam non eſt animus impedimento eſſe huic venerabili viro, quo minus inſtitutum perſequatur, breuiter vt in prima

prima quæstione, tecum agam & in secunda, in qua probabo, realiter corpus Christi in sacramento nō esse. Christus dicebat, Expedit vobis vt ego vadam: Nam si manssset, fuisset impedimento (vt ipse ait) quo minus ad eos veniret spiritus sanctus, quia nimis afficiebantur circa eius carnalem præsentiam. Quare eodem modo, si diceretur in altari substantialiter præsens adesse, impediretur populus, quo minus attollerēt animos & oculos in cœlum, ac spiritum, & eius dona consequerentur. CHE. Nego eam quā ponimus præsentiam, populo esse impedimento. Illa sane fuisset impedimento, quā cum Apostolis versabatur. CAR. Hoc impedimentum satis est euidens, nam homines credentes istam realem præsentiam, dicunt, audita missa, hodie vidi Dominum meum, & hanc putant summam pietatis, et sic auocātur à seria & vera manducatione. CHE. Si offenditur aut lęditur populus, error illorum est corrigendus, & populū doceri oportet. Nam si omnia quæ populo scādalo sunt, auferri deberēt, esset tollendum Euangeliū,

Christus si adesset carnaliter impediret nostrū profectū spiritualem.

CART.

in quo multi ſcandalizantur. Non magis eſt Chriſtus in Euchariſtia, quam Spiritus ſanctus fuerit in columba: ſed columba tantum fuit ſignum deſcendentis ſpiritus, igitur Euchariſtia tantum eſt ſignum. CHE. *Non dicit columbam eſſe ſpiritum ſanctum ſcriptura, quemadmodum dicit, Hoc eſt corpus meum: Nec eſt Euchariſtia organum ad ſignificandum, ſicuti fuit columba.* CART. *Imò vidi (inquit Iohannes) ſpiritum ſanctum deſcendentem ſuper eum.* CHE. *Erat vere ſpiritus ſanctus, qui deſcendit, ſed additum eſt, in ſpecie columbæ.* MAR. *Ego perſequar primum argumentum Doctoris Carterouiti, cui gratias ago, quod ita voluerit à nobis ſtare. Fecit ſane mihi rem gratã, & multis alijs vt ſpero. Tu aſſumis, ab omnibus qui communicant, vere manducari corpus Chriſti, ego de impijs & infidelibus id prorſus nego. Nam infidelis, ſi percipiat corpus Chriſti, hoc vel ſenſu facit, vel ratione, vel fide, Senſu non poteſt dici, quia ad Chriſtum non pertinoit, & tantum ſymbola percipit, neq; (vt vos ponitis hic corpus*

De manducatione impiorũ.

Chriſti)

Christi) sensu valet percipi. Nō item ratione, eodem argumento, quia superat eius captum. Supereſſet fides, sed cum ea careant infideles, non possunt ea sumere corpus Christi. CHEAD. Nego minorē, quia ore percipiunt corpus Christi. MAR. Quasi ore percipiatur aliquid, absq; sensu: quæ per os transmittuntur, apertum est à nobis sentiri. CHE. Ore percipiunt corpus Christi, sensus vero percipit accidentia. Deinde, si ego fide caream, infidelitas mea, fidem Dei non aufert, neq; facit irritum aut vacuum verbum eius, nam post consecrationem, est corpus Christi, siue ego credam siue non credā. MAR. Quod dicas ore percipi corpus Christi, his aduersatur quæ posuisti: nam ais corpus Christi in Eucharistia non esse quantū, & oris nostri actio siue perceptio, cū sit naturalis, ad substantiam spiritualem nō extēditur, nec vnquā ostendere poteris ore percipi nisi symbola. Quoad veritatem sacramenti & Dei fidem, scio sacramentum esse verum, etiam si non credamus, sed hoc non efficit, vt qui fide caret, aliud habeat, quam

ſacramentum, id eſt ſignum, vel ſymbola.

Quid ſit edere Chriſtum

Et quid ſit edere Chriſtum, declarauit Cyprianus, in ſermone de cœna domini, cũ ait: Vt ſciremus, quod manſio noſtra in Chriſto ſit manducatio, & potus quaſi quædam incorporatio. Item, Eſus igitur carnis huius, quædam auiditas eſt, et quoddam deſyderiũ manẽdi in ipſo. Iterum, Quod eſt eſca carni, hoc eſt animæ fides. quod cibus corpori, hoc verbum ſpiritui. Rurſus, Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, ſed ſide ſyncera panem ſanctum frangimus & partimur. Augu. etiam habet de ciuit. de lib. 21. cap. 25. Nec iſti ergo dicendi ſunt manducare Corpus Chriſti, quoniam nec in membris computandi ſunt Chriſti, vt enim alia taceam, non poſſunt ſimul eſſe membra Chriſti, & membra meretricis. Deniq; ipſe dicens, Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in eo: oſtẽdit quid ſit non ſacramento tenus, ſed reuera corpus Chriſti manducare, & eius ſanguinem bibere, hoc eſt, eum in Chriſto manere, vt in illo maneat & Chriſtus.

Sic

Sic enim hoc dixit, tanquã diceret: Qui non in me manet, & in quo ego non manco, non se dicat aut existimet manducare corpus meum, aut bibere sanguinẽ meum. Habetq; alibi, quod bibere est viuere: &, cur paras ventrem & dentem, crede & manducasti. Quæ cum impijs nõ conueniant, minime possunt dici edere corpus Christi. CHE. Patres respiciunt effectum sacramenti, & non loquuntur de re sacramenti, aiuntq; de comestione spirituali, & tales phrases habet scriptura: Non noui vos, scilicet in hunc finem, vt approbẽ. Et, quicunq; baptizatus fuerit, saluus erit: Et, quicunq; inuocauerit nomẽ Domini, saluus erit, semper addendum est, si perseuerauerit. Possum enim credere & baptizari, & tamen damnari, si non perseuerem: sic etiam qui manducat Christum, nõ habet effectum sacramenti, de quo loquuntur patres, nisi digne mãducauerit. MAR. Sancta scriptura non agnoscit manducationem Christi, nisi salutarem, neque ex litteris sacris habetis impios manducare corpus Christi: Et de indigne comedentibus sic lo-

quitur Paulus, Si quis manducauerit hunc panem aut calicem Domini biberit. Panem dicit illos manducare, non corpus Domini CHE. Ideo sic loquitur Paulus, quia corpus Christi appellat panem, ex eo quod antea fuit panis, vel quia speciem habet panis, Deinde Paulus dicit: Panem hunc & calicem Domini. MAR. Tu dicis, Corpus mã ducari à malis, Paulus non dicit, Sed panem scribit. Tu ad suffugium vsitatum recurris, sed nisi aliter satisfeceris non potes euadere, cum Paulus aperte panem appellet: adijcit autem, hunc, & dicit, Domini, quia iam mutata sunt in sacramenta. CHE. Augustinus contra literas Petiliani. lib. 2. cap. 55. aperte docet impios comedere corpꝰ Christi, dicens: Quid dementius quam sacramentis Domini communicare? Hi itaq; dicturi: In nomine tuo manducauimus & bibimus, audituri, Non noui uos, qui corpus eius & sanguinem in sacramento manducant, & bibunt, & membra eius toto orbe diffusa non agnoscunt. Et habeo centum loca, quæ proferentur cum dabitur occasio. MAR. Locus

eius Auguſt. quem citas, nil conuincit, nam impios carnem & ſanguinem domini accipere, ideo poteſt concedi, quia ſacramenta iſtarum rerum ſumunt: & vt idem teſtatur Augu. Sacramenta habent nomina rerum quas ſignificant. Quo uero ad alia loca quæ dicis te habere, expectabimus vt proferantur, & tunc obiectis reſpondebo. Quod vero ad præſens attinet, ex ſacris literis nullum verbum protuliſti, quo docueris impios comedere. Ex Auguſt. autem aperte oſtendam iſta conuerti, comedere corpus Chriſti, & habere ſalutem & vitam. Nam hal et ſuper Ioannem, Tract. 26. Qui non manducat eius carnem, nec bibit eius ſanguinẽ, non habet in ſe vitã æternam, & qui manducat eius carnẽ, et bibit eius ſanguine, habet vitã æternã. Audis ne iſta retrocedere et cõuerti? Et mox. Hoc eſt mãducare illã eſcã, et illũ bibere potum, In Chriſto manere, et illũ manẽtem in ſe habere, Ac per hoc qui nõ manet in Chriſto, et in quo nõ manet Chriſtus, procul dubio non manducat ſpiritualiter carnem eius, nec bibit eius ſanguinem,

Manducare pacem Chriſti, & habere uitam retrocedũt & inter ſe nõ couertuntur.

licet carnaliter & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi. CHEADZEVS. Verum est, quod non manducant neque bibunt ad salutem, hoc modo sumit Augustinus manducare corpus Christi. Et scripturæ dicunt indigne aliquos manducare. MARTYR. Quæ tu dicis August. non habet, & Paulus aperte vocat panem, id quod impij comedunt. Vestrum vero figmentum est, corpus quoddam Christi extare, quod mali comedant, nec salutem habeant, neque spiritus Christi participes fiant.

TERTIA ACTIO FVIT inter Morganum, Treshamum & doctorem Petrum Martyrem.

QVONIAM LIBRI DOctoris Treshami, culpa famuli eius non sunt allati, idcirco is rogabat uehementer, ut aliquantulum expectaretur. Verum domini uisitatores, ne temporis iactura fieret, Morgano magistro artiũ iusserunt, ut opponeret, qui eo die alioquin erat deputatus ad obijciendũ.

ORGANVS. Quibus principijs agam tecum vir doctissime, in tuo dogmate statuendo? num scripturis tantũ insistes? patribus & concilijs num deferes? MAR. Decreueram ante disputationem præfari aliqua, ad quæstiones, quas proposueram muniendas: & quibus nonnihil alloquerer, et satisfacerem aduersario meo, qui

hodie erat obiecturus. Sed quia casus accidit, vt subrogareris ei ad horam, qua decreueram nunc proponere, differam in aliud tẽpus. Ad ea vero, de quibus me interrogasti, antequam tibi respondeam, exequar consuetas meas preces.

PRECES.

CVM SIMVS DEVS Optime Maxime de summis nostræ religionis mysterijs acturi, tuam accedimus bonitatẽ atq; misericordiam, qua valeamus deposito contendendi affectu, ac omni remota perturbatione animi, veritatem syncere disquirere, inuentam complecti, & adeptam pure docere. Tu itaq; spiritus sancti gubernatione, disputando nos regas, quo in tuis excutiẽdis verbis, rationibus examinandis, et quæ videntur suadendis, vel dissuadendis, à summa pietatis, ne lato quidem vngue discedamus. Verum quicquid inuenerimus, cogitauerimus, & dixerimus, tua ope, & numine directum, quantum fieri potest ad honorem tui nominis conducat, per Christum dominum nostrum. Amen.

Nunc respondeo, rei theologicæ κριτήριον siue principiũ, quo iudicamus de sacris literis alias docẽdo probaui duplex esse, scilicet spiritum sanctum & sacras literas, quorum vnum est internum, alterum vero externũ, sed quia nũc de externo agimus, dico nõ debere aliud poni, quam scripturam, ibi fundamentum iacio, atq; illi cumprimis innitor: Patres vero nõ aspernabor, imò illis deferã, quãdo iuxta scripturas loquuntur. Eos citaui, quemadmodum audistis, & in eo fortassis fui nimius, non quod ab illis pendeam, sed quod videam multos addictos eis superstitio se, qui perpetuo clamãt, Patres, Patres, eosq; semper aduersum nos stare existimant. Istis indicare volui, eos maxime pro nobis facere, & quæ de patribus dixi, de conciliis tibi responsum arbitreris: Ad summam. Scripturæ sanctæ innitimur, & omnibus deferimus, qui iuxta eam loquuntur, & loquentur. MOR. Itaq; agamus è scripturis. sed ista quam habemus præ manibus ambigua est, qua dicitur, hoc est corpus meũ. Nam alij colligunt hinc transubstantiationem,

Quod sit principiũ quo iudicamus de sacris.

Contẽdit scripturã quã habemus ĩ manibus esse obscurã.

alij corpoream præsentiam cum pane, alij impanationem, qua corpus Christi & panis coalescunt in vnam personam, alij nudum signum esse constituunt, alij signum efficax. Nec desunt qui de præsentia Christi nihil præterea curant, quam vt hinc cultum omnem propulsent, vt quendam iuuenem Anglum ego noui. Quãdo itaque videmus alios aliud statuere, & tot sint dissidia, doce me, quis nam sensus huius scripturæ sit retinendus? MAR. Ex scripturis bene excussis, non difficulter elicietur proprius sensus horum verborum. In Ioan. cap. 6. ostendit Christus quam apertissime, corporis sui manducationem accipiendam esse spiritualiter. Dixit enim verba sua spiritum & vitam esse: et, spiritum viuificare, carnem vero nihil prodesse, & ilico suæ ascensionis meminit. Atque hac de re in illo capite tam copiose egit, vt postea nihil de ea scripserit in extrema cœna, veluti Augu. testatur in lib. de consensu Euãgelistarum. Spectes deinde, in eodem cap. repulisse Christum carnalem manducationẽ, quam suspicabãtur Capernaitæ,

Escripturis elicitur sensus huius propositiõis

Hoc est corpus meum.

ex

ex quibus potes elicere manducationem corporis Christi carnalem non esse, verum spiritualem, Vnde quo ad hoc & facilem & clarum sensum habes. Præterea scriptura nominat apertissime panē. Dominus accepit, benedixit, fregit, & dedit panem. Panis quē frangimus, inquit Paulus, nonne communio corporis Christi est? Item, Quotiescunque manducabitis hunc panem. Quare & hinc etiam liquet, panem manere, nec est quo ad hoc, vt loci obscuritatem causeris: Et locutionem tropicam hic haberi multa demonstrant, non enim propriè conuenit Christi corpori, vt manducetur: nam quæ manducamus, dentibus conterimus, & commolimus, & in ventrem transmissa concoquimus, ac in nostram substantiam conuertimus. quod propriè de corpore Christi dicere, nephas est. Et ad calicem, tropus manifestissime habetur, cum dicitur, Hic calix nouum testamentum est &c. Adhæc sunt locutiones euidentissimæ in scripturis de sacramentis, à quibus interpretatio huius loci haberi potest. Nam circumcisio dicitur pa-

ctum: & agnus, vel sacrificium, appellatur pascha. Dixitq; Paulꝰ de Baptismo, quod in eo consepelimur Christo, neq; ait ibi sepulturam significari. Et Christum scimus habuisse vere humanum corpus, assumptumq; esse in cœlum, et inde venturum ad iudicandum orbem. Hæc omnia loca si quis bene inter se componat, de sensu scripturæ huius nō aliter iudicabit atq; nos. MOR. Lutherus habebat scripturas, & dissentiebat à Zuinglio, Catholici eas vident ac legunt, et discrepant ab vtrisq;. Videnturq; scripturæ tam ambiguæ, vt nisi alieno lumine illustrentur, id est patribus, ad nos docendos non sufficiant, MARTYR. Imò abunde sufficiunt, vt modo audiuisti me declarasse. MORG. Quoniam video te scripturis inhærere, quæ tamen à varijs diuersimode torquētur, iam tecum agam ratione cōcisa desumpta ab eo loco, in quo sacramentū fuit instituū. Christus accepit panem: Quem panem accepit? MART. Cum dixeris à varijs diuersimode scripturas torqueri pro illorum affectu, respondeo id fieri vel prauorum vel imperitorum

rum hominum vitio, attamen illæ non sunt culpandæ quasi obscuræ in rebus necessarijs ad salutem: cum proferuntur & candide leguntur, probe suum officium faciunt. Et Spiritus sanctus attestatur eas vtiles esse ad docendum, arguendum, & instituendum hominem, vt sit perfectus, & ad omne opus bonum instructus. Quod si aliqui hæserunt, eorum fuit vitium, non scripturæ, & propter illorum contentiones accusanda non est scriptura, quasi nos docere non possit. Videmus contra Arianos demonstratum sæpe fuisse, atque id è scripturis, CHRISTVM Deum esse, voluerunt attamen illi contendere, nec mutarunt sententiam, quod nihil detraxit scripturarum luci & dignitati. Non est igitur quod mihi obiectes homines vel adhuc viuentes, vel paulo ante mortuos, qui inter se dissenserint, & tamen scripturas habuerint. Quia & aliæ causæ assignari possunt huius eorum dissidij, quam scripturarum ambiguitas. Vt autem de illis modo iudicem, non est locus: satis mihi est scripturæ

defendisse munus. Ad id vero quod interrogas: Quem panem Christus acceperit. Respondeo communem fuisse, & vsitatũ, azymum videlicet, quia celebratur pascha. MOR. Quando illum consecrauit. An cum accepit in manus? An quãdo benedixit vel quando dedit? Quando intelligam panem cõsecratum? MAR. Gratias agendo, dicendo quæ dixit, & faciendo quæ fecit. Quare & nos debemus illa eadem cum dicere tum facere. Et quia nõ habemus alioquin locum certũ, id est uerba quatuor vel quinque quibus consecratus sit panis aut vinum, ex demonstratione scripturæ, ideo totum id recitare debemus quod in historia cœnæ scriptũ est. MOR. Eodem modo ministri consecrant, quo & Christus, num ergo minister accipiendo panem in manus suas consecrat? MAR. Non, sed in ipso instituto Domini peragendo consecratur, id est, sacro vsui deputatur. Et per verba Domini & mandatũ eius, instrumentum efficitur ad corpus Christi efficaciter significandum: dico itaq; tum consecratũ esse, quando omnia verba dicta

De consecratione quibus & quando fiat.

Quid sit consecratio.

sunt,

sunt, & fidelibus distribuitur. MOR. Si uerba cõsecrationis nõ sunt certe scripta, igitur, scriptura nõ est de se sufficiens quoad cõsecrationem. Deinde peto obs te, Erat ne panis symbolum ante finita v. ba? id est, quando dicitur, quod accepit panem, erat ne panis factus adhuc symbolũ corporis Christi? MAR. Non sacramentale, pro vt nos loquimur. Et ad illud quod inferebas, ex eo quod dixi non esse verba determinata consecrationis in scripturis, tum sequi, scripturã non esse sufficientem. Respondeo non sequi: quoniam etsi non definit tantum quatuor aut quinque verba per quæ præcise fiat consecratio, tamen fideliter describit totã huius mysterij historiam, quod satis est: Vnde nos illam debemus in cœna Domini repetere, ut & agamus & dicamus quæ Christus egit, & dixit. Idq; nobis mandatum est, cũ Dominus dixit, Hoc facite in meam commemorationem. quod tam ad verba, quam ad facta est referendum. Non enim voluit Dominus, vt prolatis quinq; verbis, putemus nos perfunctos esse tanto mysterio. MORG.

Benedixit panem nondũ consecratum, Fregit panem nondum consecratum, Et dedit panem nondum consecratum, ergo dedit panem antequam esset symbolum aut sacramẽtum. MAR. Sacramentum hoc ex omnibus his constat, quæ dominus Iesus egit & dixit. Et cùm nobis ait, hæc facite, de omnibus his intellexit, non autem de vno aut altero: fecitq; symbolum bene dicendo, frangendo, dando, & adiyciendo quæ sequuntur. MOR. Consequitur, cùm Christus dederit panem, antequam omnia verba absoluerit, quòd panem dederit non consecratum, cùm ad consecrandum omnia verba requirantur. Vnde ego minister existens, & verba Christi repetens, quando facio symbolum? MAR. Dicendo & faciendo quæ Christus dixit & fecit, id est, quando actio illa, vt describitur, est perfecta. Sed quò tendas aut quid tibi velis, nõ video, nisi tantum, quòd multa verba frustra effunduntur. MOR. Dicam apertius. Ministri faciunt omnia quæ Christus fecit, alioquin deficerent in recto vsu, sed ministri non consecrant in symbolum,

bolum, antequam omnia sint prolata, ergo nec Christus. Quòd si dedit panem ante absoluta verba, communem dedit, et non symbolum corporis sui. MART. Hic ego iam respondi, Christum non dedisse symbolum ante perfectam actionem, nec priusquam dixisset & fecisset quæ erant agenda & dicenda, illisq; perfectis non dedit solam substantiam panis, verùm eam dedit cum adiecta conditione, scilicet symbolica. Primùm itaque panem accepit, quòd si postea per ea quæ dixit & fecit, adijcitur conditio sacramentalis vel symbolica, non propterea tollitur quin dederit panem, vtrumq; enim dedit, panem & sacramentum. Neque oportet, vt ita cauilleris Christum prius dedisse panem, quàm verba sua protulerit, quia hoc potest apparere, si ordo narrationis verborum tantummodo attendatur. Sed reducamus ob oculos actionem, & videbimus Christum dando, absoluisse verba, quæ fuerunt necessaria: vnde iste, quem tantopere vrges, est sophisticus cauillus, dum enim gratijs actis frangebat,

& dabat, ſimul dicebat, Hoc eſt corpus meum, & ita ad ſacramentum nihil defuit. MOR. Quid dedit panem communem vel ſymbolicum? MAR. Panem dedit ſymbolicum. MOR. Sed dedit antequam pronunciarẽtur hæc verba, Hoc eſt corpus meum, ergo nõ dedit ſymbolum. Et idcirco ego hæc dixi, vt oſtenderem nos non poſſe reprehendi, cum dicimus poſt finita verba Chriſtum dediſſe corpus ſuum, & contendimus accuſatiuum, panem, non eſſe copulandum cum verbo, dedit, vt cũ præcedentibus. MAR. Nemo vos reprehendit in eo quod dicatis, poſt ritum peractum corpus Chriſti dari, verum in eo quod panem excluditis: vtrunǵ enim ſtatuendum eſt nobis dari. Et ab omnibus illis verbis regitur idem accuſatiuus, vt ordo grãmaticaq; conſtructio expoſcit. Neque verum eſt, quod ſemper aſſumis Chriſtum prius dediſſe, quàm omnia verba pronunciarit, quia in dando ac diſtribuendo, ſiue frangendo abſoluit verba quæ ad rem faciebant. Non hic eſt imaginanda quædam excantatio, quaſi totum in vnius litteræ, ſyllabæ,

labæ, aut vocula fiat. MOR. Dedit discipulis, quid dedit? corpus potius quàm panẽ, nã corpus est proximior dictio illis verbis, quàm ista vox, panem. MART. Panem retinendum esse grammatica ratio exigit, nam omnia ista verba regunt accusatiuum, panẽ. Neq; hic intuenda est vicinitas loci: nã corpus meum, & si videatur vox proximior, attamen non regitur à verbis, fregit vel dedit, accipite & comedite, sed à verbo substantiuo, est. Quod autem Christus scribatur prius dedisse quã dixerit, Hoc est corpus meum, est vsitatus tropus ὕστερον πρότερον non tamen proprie: nam admittitur necessitate narrationis, cùm ista duo simul fierent, vt daret & diceret, neq; de hoc tantum fuit contendendum. MORG. Si sit hysteron proteron, tunc illa vox, corpus, propior est verbo, dedit, quàm accusatiuus, panem: vnde tam bene construitur corpus cum verbo dandi, quàm illa vox panem. et hæc tam pro nobis quam pro te faciunt, & est vtrinq; causæ æqualitas, quare cõstat bene responsum esse superiori die, Christum po

tius corpus suũ quàm panẽ dedisse. MAR. Quicquid dicatis pro vobis loquutionem facere, ipsa apertè reclamat et planissimè ostẽdit retinendum panem, vnde argumentum meum manet inuictum. Corpus autem Christi dari aliquo mõ nõ negamus, est vtrumq; quod datur, nimirum panis & corpus Christi: sed cur vos panem extrudatis, nec vllam habetis rationem, & loquendi forma apertissimè cõtra vos facit. Nõ est igitur vtriuq; causæ æqualitas. Neq; vt dixi, in cõstructiõe grãm atica, spectatur propinquior situs vocum, sed regimen verborum. proinde superiori die, malè est responsum, cùm ita asseueraretur dari corpus, vt panis tolleretur, qui necessitate grammaticæ constructionis eum cebatur manere. MORG. Theophylact. in Marcum cap. 14. Hoc est corpus meum, hoc inquam quod sumitis, non enim figura & exemplar quoddam dominici corporis panis est, sed in illud ipsum conuertitur corpus Christi, scilicet panis. Latina exemplaria malè habent, vbi legitur, In illum conuertitur corpus Christi, græce habe-

tur

εἰς τοῦτο ἐκεῖνο. *Vides ergo aperte istum dicere: panem non esse figuram, sed conuerti in corpus Christi. MARTYR. In primis de Theophylacto accipito, eum non esse tantæ authoritatis. vt etiam si contra nos aperte faceret, eum deberemus magnopere curare. Nam is super. 3. cap. Ioan. ecclesiam Latinam apertissimè dixit errare, de processione spiritus sancti, & vixit vt apparet, parum fœlicibus temporibus. In libris Latinis quos ego vidi, nam græca non occurrerunt, scribitur: In illum conuertitur corpus Christi. Sed siue ita græca habeãt, siue non habeãt, parum curo, quia aliquam mutationem in corpus Christi admitto. Quodq; dicis non est figura aut exemplar, apud Theophylactum sic habetur, Non enim figura tantum & exemplar, quod nos concedimus esse verum, quandoquidem panis à nobis non ponitur purum signum, & nuda figura, & certè si non habeatur ea particula, tantum, non potest consistere Theophylactus vnº aduersus omnes alios patres, qui ibi & figuram et exemplar agnoscũt,* Ad Theophylactũ.

vt est Tertullianus, Basilius, Augustinus, Theodoretus, & alij ferè omnes. Deinde cõ uersionem in corpus Christi, intelligo sacramentalem, efficitur enim sacramentum corporis Christi, quod antea non erat. Vt enim testatur Augu. ad Bonifacium, & sæpius citauimus, Sacramenta nomina habent rerum quarum sunt sacramenta, vnde sacramentum inquit corporis Christi, quodammodo est corpus Christi: neq; mutatio est talis, quæ abijciat pristinam substantiam. Et ex ipso Theophylacto licet colligere, quod sic acceperit: nam super Ioan. cap. 6. ait, Qui manducat me, viuet propter me. dum quodammodo miscetur mihi, & trans elementatur in me. Audis illum dicere, nos transelementari in Christum, & tamen vides pristinam substantiam nos retinere: cur idem fieri de pane non intelligas? MOR. Ad primum, quando ais Theophilactum quandoq; errasse, respondeo, si propterea non esset reciendus, Augustinum pari ratione refutare posses, qui recepit diuorum inuocationem, imagines, & preces pro mortuis, quæ sunt errores,

errores, si vestram sequamur sententiam. MAR. Non propterea dicebam omnino reiciendum, sed ostendere volui gradus esse inter patres, vt intelligas non esse parem omnium authoritatem, quæ maximè attenditur penes tempora et ætatem, qua vixerũt. Et quod ab ecclesia Latina sic nominatim dissensit, in cõtrouersia de spiritu sancto, argumento est, eum incidisse in illa postrema tempora, quando flagrabat illud dissidium inter Græcos & Latinos, qua eadem tempestate iam pullulare incipiebat dogma transubstantiationis. De Augustino vero & similibus eius, longe alia ratio est. Purioribus enim vixit temporibus, et de sanctorum inuocatiõe, aut precib⁹ pro mortuis, vel quantum, vel quomodo à nobis dissenserit, erit alius tractandi locus. De imaginibus autem quas admiserit adorãdas, nihil scio. MOR. Theophylactus omnino mecum est, dum inquit super Ioan. ca. 6. Panis quem ego dabo, non est figura carnis, sed caro mea est, transformatur enim arcanis verbis panis etiam si nobis videatur panis, tamen caro est &c.

Imo in libro de fide & symbolo cap. 7. & super psal. 113. cõtra imagines aptissime loquitur.

Vides eum ponere mutationem panis in carnem Christi. Et in Matth. ferè eadem habet, & addit, Apparere idcirco panem, vt nostræ infirmitati condescendatur. Et ponamus eum voluisse tradere transubstantiationem, quid aliud dixisset? aut quibus apertioribus verbis extulisset? nam idem super Marcum. 14. cap. inquit: Speciem quidem panis et vini seruat, in virtutem autem carnis et sanguinis transelementatur. MAR. De ista conuersione, cuius meminit Theophylact. ca. 14. non ambigimus, est enim sacramentalis, vtq; modò citasti, super Marcum, habet panem & vinum in virtutem carnis & sanguinis transelementari, nō autem dicit, in carnem & sanguinem, quod et nos dabimus, quandoquidē sacramenta nomina habent rerum, & nobis deus per illa spiritum & gratiam confert, quæ sunt vires rerum significatarum. Et cùm dixit, trāselementari in virtutem carnis et sanguinis, ostendit quomodo intelligendum sit panem conuerti in Corpus Christi: Nimirum quòd per ista symbola, & sacramenta, operetur

In priore epist. ad Cor. cap. 10. dicit

in

in nobis spiritus sanctus merita, fructum et gratiam corporis Christi, pro nobis crucifixi, atque sanguinis eius pro nobis effusi. Et Theophyl. ut dixi, damus mutationē sacramentalem. Quodq; ait, dominum non dixisse figuram esse panem aut vinum, si id simpliciter intelligat, habet aduersum se omnes patres. Nam Basilius dicit, ἀντίτυπον esse: Et Augu. figuram, & signum. Et quòd speciē nominat panis, eius veræ naturæ atq; substantiæ nihil præiudicat, nam ista vox species apud patres, vt supra ostendimus, verā naturam rerum significat. MORG. Sic quoq; nos dicemus, virtutem posse significare corpus: atq; idem Theophyl. in Math. ca. 26. ait, Hoc est corpus meū, ostendit, quòd ipsum corpus domini est panis, qui sanctificatur in altari, et non respondens figura, Non enim dixit, hoc est figura, sed hoc est corpus meum. Deinde verbum, hoc, trāsformatur, pertinet ad substantiam, nō ad qualitatem, & subdit dari nobis, ita vt panis videatur, quia infirmi sumus, ne horreamus crudas carnes comedere. Quòd si tuam sequeremur

nos permisceri in viuā carnē Christi.

Idem 10. cap. prioris ad Cor. exponens illū locū. Panis quē frāgimus dicit. Qd in cruce

nõ eſt paſſus Chriſtus (os enim eius nullũ eſt cõtritũ) hoc iã ſuſtinet, cũ p nos frãgitur Eadẽ fere habet Chryſoſt. qđ ſi ſimpliciter eſt abſurdiſsimum.

ſententiam, de mutatione ſacramentali, & non reali, minime opus eſſet: nullum enim periculum immineret horroris. MAR. De figura ſatis reſpondi, quomodo ſit intelligendum. Sed tamen cùm tantopere vrgeas, CHRISTVM non dixiſſe figuram eſſe, is etiam non dixit accidentia ſeparari à ſubiecto, vel panem excludi, quod ipſi ponitis. Et verba Theophylact. mutandi, transformandi, atque tranſelementandi, cõcedimus, propter conuerſionem ſacramentalem. Et quod aſſeuerat panem ſanctificatum in altari, eſſe corpus CHRISTI, admittimus. Probatum eſt enim per Auguſtin. ad Bonifaci. Sacramentum Corporis CHRISTI eſſe aliquo modo, et dici, corpus Chriſti. Id vero quod adijcitur, Ineffabili operatione tranſformari, nil cõtra nos facit, nam fatemur id non eſſe opus naturæ, vt propha na & communis res efficiatur ſacramentũ: Opus quippe eſt, vt ſpiritus ſanctus ineffabiliter operetur. De forma vero, an ſemper ad ſubſtantiam pertineat, ipſe videris, certum eſt & in prædicamento qualitatis reponi,

vnde

vnde non est quod obijcias, transformari, substãtiam respicere. Et ille horror ne à carnibus crudis resiliamus, tollitur per substantiam panis, et statuendo sacramentalem significationem. Illaq; sua loquutione aliud non vult Theophylactus, quàm ostendere manducationem carnalem minime conuenisse, quia horruissemus à crudis carnibus, ideo datam esse spiritualem, in qua species id est natura panis seruatur, & nihilo minus corpus & carnem Christi verè habemus, nimirum fide illa percipiendo. Quodq; adeo vrges verborum Theophylacti energiam, me non multum mouet. Scio enim illum, cæteroſq; patres, admodum fuisse vehementes & hyperbolicos, atq; ideo commodè interpretandos. MOR. Interrogaui antea & nũc rursus interrogo, Si spiritus sanctus per scripturas transubstantiationẽ voluisset statuere, quibus nã verbis id feciſſet? MAR. Scripturæ non fuissent attestatæ panem adesse, vti monstrauimus eas aperte dicere, neq; manducationem vel fractionem posuissent nobis, quæ corpori Christi non possunt con-

Scripturę cur transubstãtiationẽ nõ admittãt.

uenire, nimirum vt reuera frãgatur, minuatur & commolatur dentibus: ideo cùm scriptura ista pani attribuat, vt cùm dicit, Panis quem frangimus, Et, qui manducauerit hunc panem indignè, aperte ostendit se de vero pane loqui, & transubstantiationem minimè statuere. MOR. Sed corpus Christi cùm dicatur in 6. capite Ioan. panis tropicè, ideo in constitutione cœnæ à Paulo fit mentio panis, nimirũ, vt retineat Christi loquutionẽ, qua vsus est in 6. cap. Iohan. MAR. Christum in cœna loqui de ueris naturis symbolorum panis & vini, certum est argumẽtum, quia dixit, Non bibam post hac de hoc genimine vitis. & vitis non fructificat accidentia. Deinde Paulus apertè dicit: Panis quem frangimus, nonne communio est corporis Christi? Iussit præterea Christus nos manducare, quod (vti dixi) corpori Christi non potest propriè conuenire, quia non manducatur, nisi quod molitur dentibus. Metaphoram verò agnosco in 6. cap. Iohan. vbi Christus panẽ se appellat, quòd scilicet nos pascat, quemadmodum panis naturalis, &

vt

vt veteres in deserto pascebat Manna: Hic verò metaphoricè non potest agere, quia is panis de quo loquitur, & frangitur, & cõmolitur, manducando. Huc accedit quòd patres interpretantur hũc panem sacramenta lẽ, de quo est sermo, cõfici ex multis granis. MORGA. Cur non potest & hic capi metaphoricè? MART. Quia vt iam bis dixi, proprietates hic ponuntur, quæ non cõueniunt pani metaphoricè sumpto, id est corpori Christi, vt fractio, mãducatio. MOR. Quæ tribuuntur sacramentis, aliquo modo tribuuntur & rebus, quarum sunt sacramẽta, vt ait Aug. ad Bonifac. Sacramenta habent nomina rerum: sed panis qui est sacramentum, verè & propriè frangitur, ergo corpus Christi quod est res sacramenti, per tropum frangi dicitur. Deinde cùm dicitur, Accipite, manducate qui accipitur & manducatur panis, est ne panis metaphoricè? Et accipite, & commedite, sunt ne metaphoræ, pertinentes ad corpus Christi percipiendum, an non? MARTYR. Respondeo quando sacramentum fideliter sumimus,

Duplex manducatio & duplex panis.

duplex eſt ibi manducatio, & duplex panis. Perceptio enim corporis Chriſti, quam habemus fide, dicitur manducatio metaphorica, ſicut corpus Chriſti quod ſumimus, panis eſt metaphoricus. Ibi etiam habemus mã ducationem ſymbolorũ, quæ propria eſt, ſicut etiam panis, & verus eſt & naturalis. In 6. Ioan. mentio eſt tantum metaphoricæ manducationis, et metaphorici panis, ſed in cœna domini, qua ipſe communicauit cum ſuis, adiecta eſt propria manducatio, & datus verus panis pro ſymbolo: & ita in cœna datus eſt vterq; panis, & naturalis & metaphoricus, & vtraq; peragitur manducatio, & naturalis in ſymbolis & metaphorica, quoad corpus Chriſti quod fide accipimus. Miror vero te illud accipere, rebus tribui quod proprie conuenit ſacramento, id eſt ſigno, vt ſic velis corpus Chriſti dici frãgi tropice, eo quod panis frangatur. Nam ſi panem hic verè concedis frangi, quid amplius contendimus? Iam panem concedis, nõ erit amplius tranſubſtantiatio. Deinde cùm ſcriptura dicat panẽ frangi, et ſenſus frãgi,

&

& sensus tractionem panis percipiat, hoc primùm statuatur: Postea, cùm scriptura dicit corpus Christi frangi, si per metaphoram intelligere volueris & tropum, quòd scilicet frangatur, quia sacramentum eius frangitur, conueniemus: Sed fundamentum huius tropi in primis dandum erit, scilicet panem esse, qui re vera frangatur, quod etiam sensus fieri cognoscit. De verbis autē, Accipite & manducate, aio sic esse accipienda. Vt panem hunc accipitis et manducatis corpore, ita corpus meum fide & animo percipite, vt eo instar cibi, cōfirmemini. MOR. Hæc, vt mihi videtur, disputatio est vagabūda, vnde propius accedo. Accipite et mā ducate sunt metaphorica, et hac ratione bene conueniunt corpori CHRISTI, ergo et fractio potest pani metaphorico, id est corpori Christi attribui, nā simili in vsu est fractio. MAR. Si est disputatio vagabunda, tuo fit vitio, quia argumētum vel rationem non componis. Quodq; obijcis, Sicuti metaphoricè potest conuenire corpori Christi mā ducatio, sic potest ei conuenire fractio: Ego

assero longè aliam esse rationem & mandu candi & frangendi in his verbis, & forma loquendi scripturæ, quam tractamus, scilicet, Nonne panis quem frangimus, nam puto te velle accipere frangere, vt metaphoricè ad crucifixionem referatur. Sed cogites Paulum dicere: Panis quem frangimus, vbi non licet intelligere, quòd nos ipsi Christum crucifigamus. Commodè possumus dicere illum manducare metaphoricè, quia illo vescimur, sed quòd ipsum crucifigamus, est admodùm. durum & absurdum. MOR. Metaphoricè si manducamus, id est spiritu & fide, cur non etiam frangamus metaphoricè? præsertim cùm omnis manducatio habeat in se fractionem. MAR. Dicit Paul. Panis quem frangimus. etsi accipies frangere pro crucifigere, per metaphoram, nos dicemur Christum crucifigere. Concedo autẽ, quòd omnis manducatio naturalis habet in se (vt dicis) fractionem, at non omnis manducatio spiritualis, quia ipsa eô spectat, vt re percepta fruamur, tanquã cibo, non autẽ ad hoc extenditur vt frangamus & molamus

Non est fractio metaphoricavbi dicitur à Paulo: panis quem frangimꝰ.

mus quod frãgi nõ poteſt neq; moli. MOR. Cùm intuemur ſingulas moleſtias à Chriſto in cruce tolleratas dicimur frãgere metaphoricè: nam quæ conuenientia eſt inter mandu care & fide percipere, eadem eſt inter frãgere et intueri, ſiue cognoſcere moleſtias Chriſti in cruce. MAR. Miror te ponere conuenientiã inter frangere, id eſt crucifigere Chriſtum, & intueri ſiue cognoſcere eius moleſtias in cruce, nã intuemur vel videmus oculis, & frangimus vi et manibus. Exiſtimo etiam te ſcire, Metaphoras non debere eſſe tam remotas. Deinde congeminas metaphoram: quia vna eſt, ſi ſequamur tuam ſententiam, qua, frangere, ſignificat crucifigere: et altera, quòd hoc transfers ad cognoſcendũ. Quiq; non potes ferre, vt nos in verbis Domini, Hoc eſt corpus meum, ponamus tropum vllum, multos tibi vſurpas, illosq; duros & inuſitatos. Et vt non concedas in cœna Domini, veri panis fractionẽ, te in quæuis præcipitas. MORG. Frangere eſt metaphora ſatis idonea, pro eo quod eſt intueri, menteque recolere paſſionem Chriſti.

Adhuc manet inſolutũ illud argumentũ panẽ hic ſtatui à patrib» qui ex multis granis cõficitur.

Et id q† Christus ait non bibam post hac ex hoc genimine vitis.

Nam Paulus habet, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Et Bucerus contra Abrincensem Episcopum recipit, frangi, metaphoricè posse dici de corpore Christi: & ista conuenientia, vt frangere transferatur ad nostram cognitionem, vsitata est in lingua Anglicana, dicimur enim frangere difficultates discipulis. MAR. Et si alibi fortè possit esse idonea illa metaphora, non tamen locum habet vbi Paulus inquit, Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? vbi respicit indubitato externam fractionem, & distributionem Eucharistiæ: Concedo quidem cum Bucero, corpus Christi posse dici fractum, id est passum, sed non admitto quòd nos frangamus, id est crucifigamus eum. Præterea linguam vestram cùm non calleam, de tali metaphora Anglicana non possum rationem reddere, nisi fortè velitis frangere difficultates, idem esse quod soluere. Sed loquor quæ dixi, prout Græca & Latina lingua, in quibus scripturas noui Testamenti habemus, consueuit loqui.

Visitatores

VISITATORES TRANSTULERUNT DISPUTANDI PARTES AD D. TRESHAMUM.

*TRESHAM. Cogor omittere ea quæ dicere instituera*m, *quoniam & processit disputatio, & tempus elabitur. Vos igitur amplissimi legati serenissimi Regis nostri oratos habebo, vt hodiernas disputationes eadem beneuolentia prosequamini, qua prosequuti estis eam, quæ habita hic erat nudiustertius et nudiusquartus, quæ sanè fuit maxima. Nunc præmissis precibus ad rem veniemus.*

PRECES.

BEnignissime Domine Iesu Christe, Panis vitæ æternæ, qui ex ineffabili gratia, genus humanum misericordia tua, de cœlo, vt carnem de virginis carne assumeres, descendisti, ipsamq; assumptam nobis in cibum dare dignatus es, nimirum, vt in memoriam tui ipsam sedulò manducemus, et illius participatione vnũ corpus efficeremur

omnes, Concede ſupplicibus tuis, vt illo nos ſuauiſſimo epulo, quod carnem tuam viuificam eſſe credimus, illoq; potu dulciſſimo, quem verum ſanguinem tuum confitemur, ſemper fouere & nutrire velis, Quò luce tua & veritate in uniuerſos emiſſa, vnanimes ſimus in domo tua, idipſum dicentes omnes, id ipſum ſentientes, & non ſint in nobis ſchiſmata, ſed perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia, ambulemus gnauiter in fortitudine cibi iſtius, vſque ad montem ſanctũ tuum, & per gratiam tuam deducamur in tabernacula tua. Qui cum patre & ſpiritu ſancto viuis & regnas, vnus idemq; Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Domine Doctor Petre, recolo te pollicitum fuiſſe, cùm prima die mecum diſputares, & ego reſpondendo tuis argumentis, obijcerem aliqua loca ex patribus, vt ſatisfaceres, cũ veniſſes ad Reſpondendum. Nũc eſt tempus, ut id præſtes. Incipiam itaq; è Cypriano, et opponam Martyrem Martyri. et ſic argumentabor. Cyprian Martyr, ponit tranſubſtantiationem, ergo Petrus Martyr

non

non debet eam negare. MAR T. Tam firmum eſt hoc argumẽtum, atq; ſi ratiocinemur à re ad nomen. Nam Cyprianus re uera fuit martyr, ego tantum Martyr appellor. Sed mittamus iocos. Reſpondeo Cyprianum minimè ſtatuere tranſubſtãtiationẽ. TRE. In ſermone de cœna domini: Panis iſte quem dominus diſcipulis porrigebat, nõ effigie ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro. MAR. Nego hunc locum facere pro ſubſtantiatione. TRE. Eraſmus annotauit in margine ſic accipi hũc locũ. MAR. Eraſmꝰ idcirco annotauit in margine, quòd ſciebat multos hoc inde colligere: quàm uerò fuerit perſuaſa tranſubſtantiatio. Eraſmo, ex eius ſcriptis poteritis diſquirere. Verùm illum nunc videmini magnificare, quem alias iniquiſſimè tractatis. Quandoq; nõ admittitis, & erraſſe paſſim accuſatis, nunc verò eum tam facilè obtruditis. TRESHA. Tu Eraſmum in his annotationibus marginis adducere ſoles, quando pro te facit, nunc quando diſſentit, reijcis. Is verò dicit quòd panis iſte communis mutatur. MAR T.

Cyprianus uidetur aſſere retrãſubſtãtiationem.

Mutari panem in ſacramento nunquam negaui: ſed miror te qui Cyprianum ab initio attuleris, quomodo nunc te conuertas ad Eraſmum, ſemel quidem fateor Eraſmum citaui, pro vt in margine Auguſtini adnotaucrat, ſed non tantum ei tribui, vt præterea nõ confirmarim alijs rationibus, quod probandum inſtitueram: tu item alias adducas rationes, & eis reſpondebo. TRESH. Eraſmum quando pro te facit, accipis, cùm aduerſatur, repellis. Verùm ex Cypriani verbis, tranſubſtantiationem conuinco, nam dicit in eodem loco, Panis iſte cõmunis in carnem & ſanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus, mutatio autem panis in carnem eſt tranſubſtãtiatio. MAR. Iſtud idẽ vobis de Eraſmo, vt eum contemnatis et magnifaciatis, pro arbitrio, maximè conuenit, ſed ne tempus teratur, locum Cypriani quem adduxiſti, prius excutiamus. Panis quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia verbi, factus eſt caro. Hæc ſunt integra eius verba, nihil inuerto. Reſpondeo

autem

autem illum hic ponere mutationem panis sacramentalem, quam nos asserimus. Et hic habemus cum transubstantiatoribus quædam communia, & quædam diuersa. Commune mihi tecum est, effigiem panis manere neq; mutari, ut Cyprianus ait, sed natura panis est, quæ mutatur. Atq; de hac mutatione dissentimus, nos enim dicimus, naturã panis mutari, quia sacramentũ Corporis Christi efficitur, nec minus sacramentum corporis mystici, quod antea non erat. Et ideo naturæ attribuitur ista mutatio, non accidentibus panis, quia natura panis est, qua nutrimur, & quæ constat ex multis granis, quæ sunt rationes, in quibus fundatur sacramenti huius ratio. Quare cùm Cyprianus dicat naturam panis mutari, non sequitur eam nõ manere: nam in physicis mutationibus, id quod mutatur, id est, subiectum retinetur: Imò si ipsum auferas, non habebit mutatio cui innitatur. In generatione, manet materia: In alteratione compositum, In augmentatione, quod alitur & augetur. Et in motu locali, id quod mouetur: Ita cùm Cypria-

In mutatiõe id qđ mutatur, quo ad subiectũ manet.

Habes aliam respõsionem supra in tractatione de natura quæ interdum vim significat.

nus dicat naturam panis mutari, duo habemus, & quòd maneat, & quòd ſacramentum fiat, quod antea non erat. TRES. Iam Cyprianus nō eſt Cyprianus, ſed Petrianus, non eſt opus omnipotentia, vt in panem inducamus quid intentionale, & extrinſecus adueniens. Imago Chriſti pendentis in cruce tantum valet. MAR. Reſpōdeo magnam rem eſſe mutationem ſacramentalem, neque poſſe effici, niſi potentia Dei, nam eſt res ſupernaturalis, & ſolius Dei eſt ſacramenta facere. Et in Baptiſmo, vbi non ponitis tranſubſtantiationem, ſine Dei omnipotentia, ex aqua non efficitur ſacramentū, quo Chriſto inſeramur. Et quòd ad hoc requiratur vis ſpiritus ſancti, ſatis habetur ab Augu. in 3. de trin. vbi dicit, Quod cùm per manus hominum ad illam viſibilem ſpeciem perducitur, non ſanctificatur, vt ſit tam magnum ſacramentum, niſi operante inuiſibiliter ſpiritu dei. Vnde imago Chriſti fortè poteſt eſſe eius ſignum, ſed non ſacramentale. TRES. Si panis factus eſt caro, vt ait Cyprianus, ergo eſt caro, argumentum eſt euidentiſſimum.

mum. Sed hoc dari non potest, vnquam esse verum, quòd panis sit caro, est enim ac si quis diceret, homo est lapis. MAR. Eo pacto concedimus panem esse carnem quo factus est caro, sed nõ est factus caro per transubstantiationem, verùm per conuersionem sacramentalem. Igitur & hac ratione damus panem esse carnem. Quare antecedens, si rectè intelligatur, non plus infert, quàm quòd panis sit caro sacramentaliter. si verò intellexeris antecedens, quòd panis realiter aut transubstantialiter factus sit caro, negatur. Quòd deinceps addis veram fore propositionẽ. Panis est caro, atq; id esse valde absurdum. Dico te non probasse, neque probare posse, omnes propositiones, quæ constant verbo substantiuo [est] habendas esse pro identicis, quia possunt aliqua prædicari de subiectis, etiam per quandam analogiam, aut conuenientiam, ut circumcisio est pactum, vbi non requiritur, pactum & circumcisionem idem esse. Deinde vides in ea propositione qua dicitur, Verbum caro factum est, vtrumq; manere, tam verbum,

Quomodo panis dicatur fieri caro

Propositiones p verbum. est, non semper identicæ.

quam carnem. Cur in sacramento, quando assumis, Panis factus est caro, non potest manere panis? TRES. Cum Cyriano consentit Chrysostomus, ambo fuerunt eiusdem spiritus, alius ergo inuenitur veritatis testis. Chrysostomus apertissimè transubstantiationem ponit, nam in Encenijs habet homiliam, in qua sic loquitur, Num vides panẽ? Num vides vinum? Num sicut reliqui cibi in secessum vadit? Absit. Ne sic cogites. Quemadmodum enim, si cera igni adhibita, illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit, sic et hic puta mysteria cõsumi corporis substantia. Propter quod et accedẽtes &c. Hic vides Chrysost. panem & vinum excludere, atq; negare quòd in secessum abeant. MART. Chrysostomum dico, vt cæteros patres, quò augustius loqueretur de hoc sacramento, vsum esse magnis & compluribus hyperbolis, quò animos audientiũ auocaret à symbolis ad rem sacramenti complectendam. Alioquin hæ hyperbolæ, si exigãtur ad amussim, nullo pacto stare possunt, quare egent dextera interpretatione. Videas illum

Locus Chrysostomi.

Chrysostomus & patres utuntur hyperbolis.

illum sæpe & alios patres negare simpliciter, quod tantum secundum quid negandum fuerat. Quin & in sacris litteris tales loquutiones videas: Dicit Paulus, Non est nobis colluctatio aduersus carnem et sanguinem. quod pugnat cum eo, quod scribit ad Gal. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Sed negabat contra carnem & sanguinem pugnam nobis esse, duntaxat ex collatione, si conferretur cum ea, quam habemus cum nequitijs cœlestibus, id est cum diabolo & eius spiritibus. Et in Christo (ait idem Apostolus) non est masculus neq; fœmina, cùm tamẽ Christianismus naturæ humanæ proprietates non auferat: Imò ipse Apostolus, in Christo dabat propria mandata, cùm dominis tum seruis, viris & vxoribus: at intelligebat marem et fœminam non esse in Christo, quoad redemptionem, gratiam, & salutem percipiendam. Scripsit idem, se non esse missum baptizare, sed Euangelizare, tamen Christus promiscuè dixerat Apostolis, non tantum ut prædicarent, sed etiam baptizarent.

Hyperbolæ ex collatione, q̃ vtitur scriptura.

Negauit igitur se missum ad baptizandum, non simpliciter, verùm secundum quid, ex collatione duorum munerũ, significare volens, sibi imprimis commissam esse prædicationem, & eam tam præstare muneri baptizandi, vt quodam modo posset dici ad illud non esse missus: alioquin baptizauit Crispũ, Gaium, & Stephanæ domum. Hoc pacto sunt accipiendi & patres, hic quandoq; negare panem & vinum, non quidem simpliciter, sed secundũ collationem ad rem sacramentorum. Nam quò ad nos attinet, tanti facere debemus sacramentorum res, vt symbola non plus attendamus, atq; si non essent. Vtq; ostendant, quid nam in communione debemus quærere, non quidem panem & vinum, per se ipsa, nam hæc domi habemus, sed corpus & sanguinem Christi, quasi ex collatione rei ad ista, panis & vinum dicantur quodammodo non esse. Debemus enim abstrahere animum à terrenis elementis, ad corpus & sanguinem Christi in cœlum. Ioitur ad verba Chryso. cùm dicit: Num vides panem? Num vides vinũ? statim subiecit:

Eisdẽ hyperbolis ex collatione vtũtur patres, & hic præsertim Chrysostom.

Ne

Ne sic cogites. Et post simile de cera scribit. (Sic & hic puta.) Et hyperbolem satis indicat in sequentibus, cùm dicit: Ne putetis quòd accipiatis diuinum corpus ex homine, sed ex ipsius Seraphin forcipe ignem. Hæc ad verbum intelligi nequeunt, nisi velitis & ministrum ipsum vel tollere, vel transubstantiare. Et addit. Reputate salutarem sanguinem, quasi è diuino & impolluto latere effluere, quod vosipsi non daretis, neque fieri potest, vt è latere corporis CHRISTI impassibilis, nunc sanguis effluat.

TRESHAMVS. Multa dixisti, & scripturæ quas citasti, aliam interpretationem admittunt, & quæ ad Chrysostomum applicas, ab illo sunt aliena. Ipse enim Chrysostomus primò statuit veritatem doctrinæ & fidei in his verbis, deinde conuertit se ad mores, vt nos trahat ad altiora. Primumq; tantummodo instruit, et docet, antequam veniat ad figuras, et cùm tradit dogmata & docet, exemplum inducit de cera postea (vt tu dicis) fateor eum vti hyperbolis: modò interrogo, vera ne dixerit

Chryſoſtomus, an non? ſi vera, habeo quod quæro, ſi non, inuentus eſt falſus teſtis dei, iuxta id quod Paulus habet prima ad Cor. ca. 15. dum confirmat reſurrectionem, ſcribit enim, Si non eſt verum, Chriſtum reſurrexiſſe, falſi inuenimur teſtes. MAR. Ais Chryſoſt. primum tradere dogmata & docere, deinde cùm ad mores accedit formandos, confiteris illum habere hyperbolas & figuratas loquutiones, & vis exemplum cerè pertinere ad primam partem. Reſpondeo inter nos iam cõuenire quòd Chryſoſt. in hoc loco, ſicut & in alijs ſit hyperbolicus, quò admoneamur, ne habeamus in ſymbolis oculos defixos, ſed nos in cœlum ad Chriſtum ipſum erigamus, ac mente verſemᵘ eius mortem. & hos tropos iam probaui ex duobus aut tribus locis ſatis apertè, nec tamen propterea eſt dicendum, quòd falſum loquutus ſit Chryſoſt. Datur enim verè nobis corpus Chriſti edendum & ſanguis potandus, verùm animo & fide iſta percipiuntur, neque ſolum illis animus inſtauratur, verùm etiã corpus. Et ne decipiamur in eius tropis, uſus eſt

Cur hyperbole vtatur Chryſoſ.

In his hyperbolis nõ falſum loquitur Chryſoſtomus.

verbis (existimes, putes, & cogites.) Quod verò tu ista distinguas in doctrinam et mores, non constat ex verborum Chrysost. serie. Et multò minus valet, quòd simile de cera vis accipiẽdum esse propriè, tanquam ad dogma pertineat: nam ex Cyrillo, lib. 4. super Ioan. cap. 17. idem simile habetur de mutatione nostra in Christum. Verba Cyrilli hæc sunt: Sicut enim si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, & alteram cùm altera per totum commisceat necesse est, sic si quis carnem & sanguinem domini recipit, cum ipso ita coniungatur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur: ac eadem ferè habet in lib. 10. cap. 13. vbi scribit, Nam quemadmodũ si quis igne liquefactam ceram, alij ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnũ quid ex vtrisq; factum esse videatur, sic communicatione corporis & sanguinis Christi, ipse in nobis est, & nos in ipso. Hæc ex Cyrillo. Vbi vides & Christum et nos comparari ceris liquefactis, nec tamẽ diceres, aut nos aut Christum transubstantiari. Quomodo igitur hoc

Simile de cera habetur apud Cyrillum

de pane vis asserere, propter idem simile positum à Chrysost? Imò si res diligenter excutiatur, nos ipsi magis Christo coniungimur, quàm panis, quia pani in hunc finem suo modo coniungitur Christus, vt nos verè illi vniamur. Et verba per quæ panis dicitur corpus Christi, magis ad nos pertinẽt, quàm ad ipsum, qui natura nihil intelligit, aut credit. TRES. Chrysost. est optimus interpres sui ipsius, qui super Matth. cap. 26. hom. 83. ostendit se non loqui hyperbolicè, et scribit: Credamus itaq; vbiq; deo, nec ei repugnemus, etiam si sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur quod dicit. et mox: Nam verbis eius defraudari non possumus, sensus verò noster deceptu facillimus est, illa falsa esse non possunt, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, &c. Et mox, Quos radios solares non deberet excedere manus illa, quæ hanc coronã pertractat? Hic incipit miscere tropos, sed posita prius doctrina, nec oportet vt tropos inducas extra sua loca. MAR. Iam, vt dixi, conuenis mecum, quòd Chryso. interdũ loquatur

Christus nobis magis coniũgitur quã panis.

loquatur in hoc negotio tropicè, quia id negare non potes, ſed tantũ contendis, ante illa verba: Quos radios ſolares non deberet excedere manus illa, tropum non haberi, Res ipſa loquitur ſecus eſſe, habes enim à principio: Nihil ſenſibile traditur nobis à Chriſto, & neges (ſi potes) ſenſibilia ſymbola ab illo eſſe inſtituta, & nobis tradita. Deinde adiecit: Quot modò dicunt: Vellem formã & ſpeciem eius, vellem veſtimenta ipſa, vellem calciamenta videre, Ipſum vides, ipſum tangis. Et hic nõne tropum agnoſcis? Quis noſtrum in Euchariſtia videt aut tangit Chriſtũ? Paulò poſt, Nos ſecum in vnam (vt ita dicam) maſſam reducit, neq; id fide ſolùm, ſed reipſa nos corpus ſuum facit. Noſtram attingit hic mutationem in Chriſtum, quam eſſe tranſubſtantiationem dicere non potes. Præterea in his ijſdem prioribus locis, baptiſmum confert cum Euchariſtia, vt intelligamus in vtroq; ſacramento conſimilem eſſe rationem. Et quia pro te arripis, quod Chryſoſt. dixit, Neque id fide ſolùm ſedre ipſa corpus ſuum efficit. nihil

iuuaris: Nam ibi non loquitur de pane, verum de Christi coniunctione nobiscum, quã ego concedo non tantum fide constare: quia etsi fide in sacramento Christum complectimur, attamen eam sequitur vera nostri immutatio in Christum. Animus enim alacer & paratus efficitur ad honorem deo exhibendum, & nostrum corpus spiritui redditur magis subditum, ac ita immutatio fit re ipsa, tum animi tum corporis, & hoc pacto intelligitur nos contrahi in vnam massam in Christo, quia illi perquam conformes reddimur. Vnde vides per hæc non tolli panem, nec sequi, Christum vel realiter, vel substãtialiter in eò contineri, Imò hic ex Chryso. habes, intelligibilia esse, quæ nobis traduntur. Et post verba quæ tu annotasti, ante quæ nolebas tropum esse, tam aperte habentur figuræ, vbi dicit, quod lingua cruentetur, vel rubeat, vt ipse eas negare non sis ausus: sequitur igitur hyperbolicam & tropicam esse totam hanc orationem. TRE. Faxit Deus, vt rectè intelligas. Mos est apostolorum & patrum, primo docere fidem & dogmata

Quomodo nos in Christum vere mutemur.

dogmata veritatis, postea mores instituere. MAR. Sed in his locis Chryso. non distingues mihi dogmata et mores, vbiq; sparsim sunt tropi. TRE. Iam ostendi tibi, sed aliũ doctorem adferam contra te, & agam tecũ humaniter, quia obijciam tibi (ni fallor) hominem cõterraneum, Thomam de Vio, Caietanum. MAR. Non accipio, est scholasticus, fuit Cardinalis, et vixit meo tempore, neq; etiã tu in omnibus admitteres. TRE. Bene, ego morem tibi geram, si non admittis, non obijciam.

De Cardinale Caietano.

HIC REVERENDVS DOminus episcopus Lincolnienſis fecit copiam Morgano rursus obijciendi, si uellet.

MORG. Omnes doctores & patres ad vnum conuellunt omnia principia, quibus tollitur transubstantiatio, ergo est ponenda. MAR. Nego antecedẽs, nam si patres rectè intelligantur, nostra principia non tollunt. MOR. Vellicant hoc prin-

cipium, corpus humanum non posse esse simul in multis locis, et corpus quantum non posse carere modo quantitatiuo. MART. Nego assumptum quòd patres ista vellicent ita vt prorsus tollantur. Nec sunt hæc, quæ narras, principia plena, propter quæ repudiatur transubstantiatio. Nam & Lutherus, & qui cum eo faciunt, corpus fatentur esse in multis locis, & corpus quantum posse carere modo quantitatiuo, & nihilominus trã substantiationem repudiant, igitur quæ commemoras, non sunt plena & integra principia, per quæ transubstantiatio à nobis repudiatur. Primum enim & præcipuum principium nostrum est sancta scriptura, quæ ibi panem agnoscit. MOR. Corpus posse carere modo quantitatiuo probabitur ex Chrysost. in 2. ca. Ioan. hom. 86. vbi scribitur. Dignum autem dubitatione est, quomodo corpus incorruptibile formam clauorum acceperit, & mortali manu tangi potuerit. Sed hoc te non perturbet, hoc enim permissionis fuit. Corpus enim tam tenue & leue, vt ianuis clausis ingrederetur, omni crassitudine carebat,

Quod sit principiũ propter quod negatur trã substãtiatio.

Chrysostom. de penetratione corporis christi ad discipulos ianuis clausis.

carebat, sed ut resurrectio crederetur, talem se exhibuit. Et vt ipsum crucifixum fuisse, & neminem alium pro eo resurrexisse intelligas, propterea cum signis crucis surrexit & manducauit: Quod resurrectionis signũ Apostoli plurimi fecerunt, dicentes, Qui cũ eo simul manducauimus, et bibimus. Quemadmodum igitur, cùm ante passionem super aquis ambularet, aliud à nostra natura corpus illud fuisse non dicimus, ita post resurrectionem, videntes id signa clauorum habuisse, non propterea corruptibile dicemus, propter discipulũ hæc ipsa ostensa sunt. Audis, quòd vulnera sint ostensa, permissione factum, vt discipuli crederent, & corpus Christi omni crassitudine caruisse, & fuisse tam tenue & leue, vt ianuis clausis ingrederetur. Quid dicis ad Chrysostomum? MART. Primum respondeo, me non audire ex his, corpus Christi fuisse in diuersis locis simul: Et de crassitie, respondeo corpus glorificatũ non carere ea omnino, alioquin nõ esset corpus humanũ, eam tamen habet, qua agile et leue sit, atq; spiritui pareat.

Permissio huc spectat quod sine cicatricibus potuisset surgere, & cum surrexisset, nõ cogebatur necessitate manducare.

An corpus Christi post resurrectionem caruerit omni crassitie.

Neq; propterea sequitur Christum caruisse sua circumscriptione, quæ admodum quantitatis pertinet, qua tamen non obstante, potuit per suam diuinitatem & gloriam ad discipulos penetrare. Atque in summa de crassitudine distinguo, vel accipere vis Chryso. quod eam quidem habuerit, sed non talem, quæ penetrationem Christi ad discipulos impedierit, in quo ego cum illo consentio. Aut ita putas intelligendum, quòd omni genere crassitudinis caruerit, & hoc nego, neque Chrysost. verba cum tali sententia faciunt. Nam ipse aperte cum Euangelista vult figuras clauorũ & crucis asseruatas in eo. Qui autem fieri potest, ut in substantia non quanta figuræ locum habeant? Cõcedo quidem ex permissione fuisse, vt cicatrices in corpore suo sineret, vt palpari voluerit, comederit & biberit cum apostolis. Nam ista fieri necessarium non fuit, nisi quantum ipse voluit. Interim nõ audio ex permissione fuisse, quod habuerit quantitatem, vel in vno aliquo loco fuerit, quæ ad corpus necessaria esse contendi. Deinde illud corpus asserit non fuisse

Corpus Christi post resurrectionẽ habuisse quantitatem.

fuisse aliud à nostra natura. Nostrum verò quantitatem & modum quantitatis habere certissimum est, tãtum excipit corruptibilitatem, illiq; ascribit leuitatem & tenuitatem tantam, vt tanuis clausis ingredi potuerit, & crassitudinem tantam aufert, quanta potuit impedire illum ingressum, non tamen omnem. MOR. Corpus Christi hæsit medys foribus, crassitudine non impediente, vt dicis, ergo tunc erant duo corpora in uno loco. MAR. Ad hæc duo respõdeo: Primũ, quòd sacræ litteræ nobis narrãt hoc miraculũ, ideo facilè illis creditur. Verũ quòd corpus Christi substantialiter præsens sit in multis locis, nusquam docent, imò corpori Christi certum locum, cœlum inquam, ad dexteram patris ascribunt, non in vno loco: præterea pugnat cum natura veri corporis humani, vnde non admitti debet. Alterum, quòd adfero est: In illa penetratione corporis Christi ad discipulos, vi diuinitatis potuisse quantitatem parietis ita cedere, vt duo corpora nõ fuerint simul eodem loco. Et memini Tertulianum (quia soletis etiam adducere corpus

Miracula quæ habet scriptura incunctãter admittenda, quæ vero non habet induci non debent, quasi ad fidem pertineant.

Christi egressum ex vtero virginis clauso) in lib. de carnis resurrectione, scribere, Christum nascendo vuluam matris aperuisse.

An Christus aperuerit vterum virginis.

Quod etiam Cyprian. in expositione symboli affirmat, & Hieron. ad Eustoch. scribit, Christum de vtero virginis cruentum egressum esse. Sunt qui existimant Christū egressum vterum virginis integrum omnino & clausum. Vt ergo non omnes idem sentiunt, quòad hoc, ita ego duplicem tibi dedi responsionem, Vnam, qua penetrationem istam cō cedo per miraculum, non tamen ita, vt corpus Christi omnem quantitatem penetrando amiserit, à simili autem, non concedo corpus Christi esse in multis locis, quia hoc non tradit scriptura, sed secus ostendit. Altera responsio est, vi diuinitatis cessisse fores, vt aliqui dicunt apertū virginis vterū. MOR. Ad id quod respondes crassitiem vel quantitatem parietis vel ianuæ cessisse Christo penetranti ex miraculo, peto abs te, utrū apostoli viderint cedētes fores? MARTYR. Quid si non viderint? nihil refert vtrum viderint, an non viderint, scriptura sancta nō

affirmat

affirmat neq; negat. Sed quia factum narrat, credi oportet: quod verò corpus Christi carnaliter aut substantialiter simul in multis locis esse possit, aut sub accidentibus panis & vini latitet, nullibi tradit. MORG. Ideo hoc interrogaui, quòd si cesserunt & apostoli non viderunt, Christus aperte illusit sensibus, & fuisset præstigiator, quod tu oppugnas, cùm negas corpus Christi latitare sub forma panis, ne scilicet habeatur præstigiator aut illusor sensuum: Cùm tamen Erasmus super. 24. cap. Luc. dicat, Corpus Christi cùm velit, inconspicuum esse, & cùm velit, posse conspici. Sed hoc missa Augusti. in ser. qui est numero. 159. estq; titulus eius: Dominica in octaua paschæ ser. 3. ad Competentes: Miraculum est quòd Dominus noster IESVS CHRISTVS in carne vera intrauerit ad discipulos per ostia clausa. Requiris à me forsitan rationem, & argumentum requiris. Si vera, inquies, caro fuerat quæ resurrexit, quomodo ipsa ianuis clausis ad discipulos introiuit? Redde mihi, inquit, rationem. O homo,

Augus. de eadem penetratio.

si rationem à me poscis, non est mirabile. Si exemplum quæritur, non erit singulare. Credis nempe dominum Christum super aquas maris firmis gressibus ambulasse? Credis vtiq;, Dicis igitur mihi: Si per ostia clausa Christus intrauit, vbi est corporis pondus? Recedant paulisper modus & pondus, ille hæc fecit, cui nihil impossibile est. Christus qui carnem suam potuit de sepulchro producere, non potuit clausis ianuis ad discipulos introire? Idemq; Augu. in eadem dominic. serm. 4. Magnũ miraculum, sed mirari desinis, si Deum cogitaueris. Mirum enim esset, si solus homo hoc feciſſet. Refer ad omnipotentiam, non ad phantasiam. Ostijs clausis intrauit. Respondeo tibi vt scias, quia vera caro fuerat, cicatrices tangendo monstrauit. Sed sicut non est, inquis, naturæ corporalis, per ianuam clausam intrare, sic nõ est naturæ corporalis super fluctus maris ambulare. Intrauit per ostia clausa. Respondemihi. Da mihi soliditatem carnis. Ambulauit super aquas maris, da mihi et tu pondus carnis. Vis nosse & hoc omnipotentiæ fuisse? et

Vera caro fuit corporis Christi resuscitati, ergo quanta qa non potest esse caro, nõ quanta.

Petro

Petro dedit, qui quòd voluit dedit, quod proprium erat, sibi seruauit. Ille enim viuẽs per ianuas clausas intrauit, qui nascendo integritatem matris non violauit. Ecce audiuisti pondus & modum quantitatiuum recedere à corpore Christi. MAR. Antequã recitaueris Augustini loca, obijciebas: quòd si cessit paries aut ianua Christo ingredienti, & id non viderunt apostoli, tunc apertè Christus illusit sensibus. Respondeo hoc non esse necessarium. Potuerũt apostoli illum videre in conspectu sibi astantem, & modum nescire quò ad se penetrauerit. Quod autem dicis me oppugnare, corpus Christi conspicuum esse, & inconspicuum pro suo arbitrio, ne videatur esse præstigiator et illusor, dico te decipi, ego hæc non dixi de corpore Christi, verum de pane, quòd videretur esse præstigiatoris, eius proprietates, formam, saporem, colorem, & qualitatem ostendere, substantiam verò subtrahere: Nec Erasmus, quẽ inducis, cõtra me facit. Ad Aug. autẽ respondeo insistendo priori distinctioni, & dico, eum non intelligere, à Christi

Idem fere habetur ex sermo. 156.

Christus nõ illusit sensibus apostolorum.

Nõ negamus corpus Christi ad eius libitũ cõspicuũ esse & non cõspicuũ.

A Christi corpore resuscitato nõ re-

ceſsit omnis modꝰ quantitatis & omne podus

corpore omnem modum quantitatis, & omne pondus receßiſſe, nã tunc non fuiſſet corpus, ſed tantum intelligit iſta fuiſſe reiecta, quo ingreſſum & penetrationem ad diſcipulos impedire valuiſſent. MORG. Si permittebatur quantitas, & modus eius in corpore Chriſti, ita vt non impediret penetrationem oſtij, ſequitur duo corpora fuiſſe in eodem loco. MART. Nego conſequutionem, quia potuit (vt dixi) locum facere, et cædere quãtitas atq; craſſities oſtij. MOR. Si ceßiſſet quantitas oſtij, non opus fuiſſet Auguſtino dicere, vt aliquantiſper cederet modus & pondus: nam toto ſuo modo & pondere ingredi potuiſſet oſtij quãtitate vel parietis cædente. Et ſic ego quoq; poſſem reſpondere ad id quod obijcitis ex Auguſt. ad Dardan. Deinde ais corporis modum & põdus, quæ ingreſſum impediebant, fuiſſe abiecta. Sed omnis modus quantitatiuus impedit corpus Chriſti per clauſas fores ingredi. Igitur omnis modus quantitatiuus abijciebatur à corpore Chriſti. MARTYR. Quòd aſſumis omnem quantitatem & modum

Hiero. ad Pãmachium cont. Iohãnem epiſco. Hieroſolymitanũ dicit hac de re creaturam ceſſiſſe creatori.

dum eius impedire corpus Christi, ne penetret, minimè verum est. Potuit enim per miraculum ac diuinitatem intrare ad Apostolos, etiam foribus clausis, vt iā dictum est, vel quòd fores ipsas apparuerit cùm essent clausæ, vel quòd ad momētum illi cesserint, et deinde ad pristinum statum redierint aut quocunq; alio modo, qui nobis è scriptura nō constat: de simili facto lege. 5. cap. Actorum apostolicorum. At id apertè constat, quòd omni ablata quantitate, corpus humanum non possit suam naturam retinere. Corpus tamen Christi, & glorificata corpora sanctorum, nō tantam habent crassitiem, quin tenuia sint & agilia, ita vt spiritui obediāt, & quò velit moueantur. Ad id verò quòd ais te posse eodem modo respondere his, quæ obieci ex epist. ad Dardan. si responsionem aptaueris & explicaueris, quid mihi de ea videatur indicabo, sed cùm generaliter loqueris, non constat quid velis. Et ad id quod affers: Cedente parietis quantitate non opus fuisse facessere paulisper modum & pondus. non rectè rem perpendis.

Non omnis quantitas & modus eius impedit penetrationē.

Corpora glorificata sunt tenuia & agilia.

Potuit enim ita cedere quãtitas parietis, vt aliqua tamen subtilitate, & leuitate, siue agilitate, opus fuerit corpori Christi penetranti: vt cũ ambulauit super aquas, aquæ gradiens corpus sustinebant, verum ita, vt aliquod pondus à corpore ambulante facesseret. Deinde, vt supra iam dixi, hoc miraculum scriptura narrat, ita verò fieri in Eucharistia minimè tradit, & hoc meum fuit potißimum principium aduersus transubstãtiationem. MOR. Augu. item in tomo. 3. lib. de agone Christiano cap. 24. Nec eos audiamus, qui negant tale corpus domini resurrexisse, quale positum est in monumento. Si enim tale non fuisset, non ipse dixisset post resurrectionem discipulis: Palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Sacrilegum est enim credere dominum nostrum, cum ipse sit ueritas, in aliquo fuisse mẽtitum. Nec nos moueat, quod clausis ostijs subito eum apparuisse discipulis scriptũ est, vt propterea negemus illud fuisse corpus humanum, quia cõtra naturam huius corporis, videmus illud

Augusti. itẽ de eadem penetratione.

Tale corpꝰ habuit Christus quale positũ est in monumẽto ergo quantum

per

per clausa ostia intrare, omnia enim possibi lia sunt Deo. Nam et ambulare super aquas, contra naturam huius corporis esse, manifestum est, & tamen non solùm ipse dominus ante passionem ambulauit, sed etiã Petrum ambulare fecit. Ita ergo & post resurrectio nem suam, de corpore suo fecit quod voluit: si enim potuit ante passionem suam clarifica re illud, sicut splendorem solis, quare non po tuit & post passionem, ad quantam vellet subtilitatem, in temporis momẽto redigere, vt per clausa ostia posset intrare? Habes ex Augustino, corpus CHRISTI factum esse subtilius, ut intraret per ostia clausa: vn de sequitur, duo corpora simul fuisse in eodẽ loco. quod non minus est absurdum naturæ, quàm idem corpus esse simul in multis locis. MAR. Continet in summa locus iste tria capita, Primum, corpus CHRISTI tale resurrexisse, quale fuit in sepulchro, id est ue rè humanum corpus: quod si verum est, sine quantitate & modo eius esse non potuit. Alterum caput est, quòd CHRISTVS post resurrectionẽ, de corpore suo fecit quod

voluit, quod facilè admitto: sed non dicit eũ voluisse suum corpus absq; quantitate esse, aut in pluribus locis simul inueniri. Tertium est, quod potuit illud ad quãtam vellet subtilitatem, in momento temporis redigere, vt per clausa ostia posset intrare: ex qua loquutione, quantitas non tollitur, sed asseritur: nam subtilitas affectio est substantiæ corporeæ & quantæ, vnde quantitatem requirit & aliquem modum eius. Commemoratur præterea CHRISTVM dixisse, Palpate & videte &c. Quis verò ignorat, quæ palpantur & quantitatem & modũ quantitatis habere? Per subtilitatem ergo agilitatem intelligit, sed non eam quæ corpus auferat. Quod autẽ sequatur, duo corpora fuisse simul, iam negaui, quia potuit quantitas parietis ex parte cedere, addita nihilominus & corpori CHRISTI subtilitate. Deinde patres qui hanc penetrationem sic affirmant, non habuerunt fortè pro tam absurdo in naturæ duo corpora esse simul in eodẽ loco, quam vnum corpus esse simul in multis locis. Postremo iam dixi hunc accessum

Christi

Christi ad Apostolos ianuis clausis, scripturam narrare, non autem tradere de corpore Christi quod sit simul in multis locis, vel absque quantitate, nilq; de veritate corporis Christi hoc miraculo demitur, nec eius propria quantitas aufertur. MORG. Non recipio quod postremo dixisti Aug. per subtilitatem intelligere agilitatẽ, quia illa pertinet ad velocitatem motus, qualitas verò de qua loquitur August. facit ad penetrationẽ densorum. Sed nunc ostendam esse donum corporis glorificati, vt se pro arbitrio insinuet per densissima corpora, nam Ambro. super Luc. cap. 24. dicit, Habuit autem admirandi causam Thomas, cum videret clausis omnibus per inuia septa corporibus, in offensa compage corpus insertum, & ideo mirum quomodo se natura corporea per impenetrabile corpus infuderit, inuisibili aditu, visibile conspectu, tangi facilis, difficilis æstimari: denique conturbati discipuli, existimabant se spiritum videre, & ideo dominus vt speciem nobis resurrectionis ostenderet, Palpate inquit, & videte, quia spiritus

Ambros. de eadem penetratione.

carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Non ergo per incorpoream naturã, sed per resurrectionis corporeæ qualitatem, imperuia vsu clausa penetrauit. Nam quod tangitur corpus est, quod palpatur corpus est, in corpore autem resurgemus. Seminatur enim corpus animale, surgit corpus spirituale, Sed illud subtilius, hoc crassius, vtpote adhuc terrenæ labis qualitate concretum, nam quomodo non corpus, in quo manebant insignia vulnerum, vestigia cicatricum, quæ dominus palpanda obtulit, in quo non solùm firmat fidem, sed etiã deuotionẽ acuit, quòd vulnera suscepta pro nobis, cœlo inferre maluit, abolere noluit, vt deo patri nostræ precia libertatis ostenderet. Affirmat hic Ambros. quòd omnia glorificata corpora potestatem habent recipiendi sese per densissima corpora: nam dicit, quòd per resurrectionis corporeæ qualitatem imperuia vsu clausa penetrauit. Concluditur ergo hinc, corporibus glorificatis tribuendum, vt possint, quando voluerint, penetrare vel densissima corpora. & obser-

Discrimẽ corporis nostri nũc ab eodẽ cũ resurget, est crassi & subtilius.

uabis

uabis quòd inquit, Ianuis clausis corpus insertum compage inoffensa. MAR. Non facit ad meam causam nunc disputare de agilitate, quare quod ad hoc attinet, concedo per subtilitatem, intellexisse Augustinũ tenuitatem, de hoc inter nos nõ contendemus. Verùm ad illud te remitto, quod paulò ante dixi, subtilitatè, affectionem esse quanti, & supponere necessariò modum quantitativ. Postea respondeo hunc locum Ambrosij nihil contra me facere. Nam Christi substãtiam, quæ penetrauit ad discipulos, apertè corpoream appellat, & tantum qualitati resurrectionis miraculum attribuit. Et quod palpatur, & tangitur, disertè ait corpus esse: & inter nostrum quod modò habemus, & futurum, ponit hoc discrimen, vt illud sit subtilius, & hoc crassius, Christumq; verè corpus habuisse voluit, propter cicatricum insignia. Non itaq; aufert quantitatem, vel modum eius, sed tantùm ostendit quid qualitas resurrectionis possit. Et in hac tua argumentatione duo fuerant declaranda, quæ non demonstrasti. Vnum est, nõ cessisse crassitiem

Quæ proposuerat probãda ex istis locis patrũ non probauit.

vel molem ostij per miraculum. Alterum, quod corpus humanum simul et eodem tempore possit esse in multis locis, hæc assumpsi ras declaranda, neque probasti. MORG. Imò primum declaraui, scilicet quãtitatem nõ cessisse, quia inquit Ambrosius, Christi corpus inoffensa compage insertũ. MAR. Hic inquit Ambrosius, corpus Christi per impervia & impenetrabilia aditum habuisse & penetrasse, quod ego concedo, quia penetrari non potuerunt nisi per miraculum, quod esse potuit, vt corpori glorificato moles parietis cesserit, idq; inoffensa compage vel corporis Christi, vel ianuæ, quæ non vi fracta fuerit aut aperta, sed facilè & sponte cesserit, suoq; loco sit restituta, vt neque vis, neque læsio apparuerit. Et ad hæc, quod in primis quæritur, quippiam huiusmodi factum esse nõ probas, Patres exposui, qui etiã si trahantur ad tuam sententiam, iam supra quod respondendum sit, apertè docui è scripturis.

Hic

HIC IVSSVS EST TRESHAMUS iterum agere.

TRESH. Optimè nosti substantiam præcedere natura quantitatem, igitur non est difficile diuinæ potentiæ, ut separetur & inueniatur sine quantitate. MAR. Considerationè metaphysica, scio separari substantiam à quantitate, quandoquidem alia est ratio & definitio vnius quam sit alterius. Sed quò ad id, vt extet substãtia corporea, & potissimum verum hominis corpus, non potest fieri, si quantitas auferatur. Et quis ignorat, quod quamuis substantia præcedat natura quantitatem, tamen statim diuiditur per corpoream & incorpoream, & corporea in animatam & inanimatam, & animatum corpus organicum dicitur, & membris instructum, quod sine quantitate impossibile est vt fiat, alioquin daretur corpus humanum sine pedibus, sine manibus, & sine oculis &c. TRES. Non est Deo difficile, vt quod prius natura est, sine posteriore existat. MAR. In antecedẽte debebas

Prius separari potest à posteriori cogitatione, non tamen re ipsa, potest semp ab illo separari.

accipere Corpus physicum & organicum, omnibus membris perfectũ, cuiusmodi fuit corpus CHRISTI, & hoc pacto non est ita prius quantitate, vt sine ea valeat extare. TRES. Quod non claudit cõtradictionem in terminis, Deus potest efficere. Deinde superiori disputatione asseruisti, idem nõ esse signum sui ipsius in eadem hypostasi, illud impugno ex Luc. 2. cap. Euangelizo vobis gaudium magnum, sequetur & hoc vobis signum, Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepi. MART. Quòad primum respondeo, quòd implicat contradictionem, vt sit corpus organicum, membrisq; perfectè instructum, & quantitate careat. Deinde quòd adfers ex Luca non concludit: nam infans inuolutus in pannis, non fuit signum sui ipsius, sed quòd Angelus vera dixerit: Vera autem Angeli verba & CHRISTVS, non habent eandẽ hypostasim. Et ego superius cùm ista dicerentur, aiebam filium non dici ad Heb. imaginem substantiæ paternæ, nisi quò ad humanitatem: Nam per antonomasiam illi id cõpetit

Rursus probare vult idem esse signũ sui ipsius.

petit præ cæteris hominibus, quia cùm dicitur: Multipharíam multisq; modis Deum loquutum esse olim patribus in prophetis, nouissimè verò in filio, sermo de eo est tam incarnato. Et si omnes homines imagines Dei sunt, id multò magis homini CHRISTO tribuitur. Quomodo etiam secundum diuinitatem, locus ille possit intelligi, exposui, & illa obiter fuerunt tractata. TRES. Quæro abs te, an corpus Christi sit simul passibile & impassibile? MAR. Idem Respondeo quod prius, ex Vigilij sententia, eandem naturam tam contraria simul non recipere. TRES. Probo idem corpus eodem tempore, & passibile fuisse, & impassibile, quia Christi corpus, vt scriptura docet, non necessitate, sed voluntate fuit passibile. Nam in Iohan. dicitur: Ego pono animam meam, & nemo tollit eam à me. et addo, quòd nemo poterat tollere. Ac in Isaia propheta, dicitur, Oblatus est, quia ipse voluit: fuit igitur passibile voluntate. Itemq; impassibile fuit, quia si Christus noluisset, nõ fuisset passus, ergo vtrumq; simul habuit corpꝰ Chri-

sti, prout erat eius voluntas. Sit ergo forma argumẽti: illud corpus est impassibile, cuius anima tolli non potest, nisi ipso volente, sed corpus Christi ita se habuit ante mortẽ, vt ab eo animam tollere nemo potuerit, nisi ille voluisset, ergo fuit impassibile. MAR. Distinguo potentiam moriendi, vel non moriẽdi, quia si eam referas ad voluntatem Christi, vtrumq; fuit, quia Christus potuit velle vt pateretur, & potuit velle vt non pateretur, & prout voluisset, fuisset corpus passibile vel impassibile, sed ipse nunquam voluit, simul & eodem tempore, nisi vnã partem, & sic corpus illud fuit semper vel passibile vel impassibile, & nunquam simul vtrumq;, etiam quòd ad hoc externum principium voluntatis Christi. Præterea, si respicias conditiones & qualitates corporis, ita vt de eo quòd erat in actu, loquaris, dico necessariò, quando corpus Christi fuit cũ qualitatibus & conditionibus passibilibus, non potuisse esse sub impassibilibus, existis ad illas permutari poterat, sed ambas simul retinere fuit impossibile.

An corpus Christi fuerit simul passibile & impassibile.

De

DE SECVNDA QVAEstione, An corpus Christi realiter adsit in Eucharistia.

TRESH. *Antiquus author Irenæus li.4 cap.24.contra Valentinianos, qui auferebant resurrectionem carnis, & Christũ negabant esse filiũ illius Dei qui creauit omnia: Quomodo inquit cõstabit eis, panẽ in quo gratiæ sunt actæ, corpꝰ esse Domini sui, si ipsum fabricatoris filium negant. Et mox, Quomodo autem rursus dicunt carnẽ in corruptionem deuenire, & non percipere vitã, quæ à corpore domini & sanguine alitur? Vnde constare potest, quænam ecclesiæ de Eucharistia, eo tempore, fides & doctrina extiterit. Sic disputo, Omne illud per quod aliud probatur, certius esse debet eo quod probatur, sed carnis nostræ resurrectio probatur per veram corporis Christi præsentiam in Eucharistia, & probatur Christus esse verè filius fabricatoris huius mundi. ergo corpus Christi realiter ibi adest, idque*

Argumentatur ex Irenæe.

nobis certi⁹ esse debet illis, quæ per ista probantur. MAR. Argumentum Irenæi verum est, neq; ipsum nego, sed nihil aduersum me facit: Nam panis ille, Eucharisticus panis est, & etiam est corpus Christi, sed quomodo? sacramentaliter. Et vt Irenæus concludat aduersus hæreticos, qui negabãt Christum fuisse filium dei fabricatoris huius mũdi, sumit Christum accepisse panem, qui cũ sit à Deo creatore huius mundi, vsurpasset Christus alienam creaturam. Ad propositũ itaq; Irenæi, satis est ponere panem huiusmodi creaturam, verè in sacramento locum habere, ne Christus videatur vsurpator alienæ creaturæ si dicatur filius alterius Dei à creatore mundi huius. Vt autem cognoscamus quid Irenæus de Eucharistia senserit, consideremus eum scribere, corpora nostra ali, nutriri, consistere, & augeri Eucharistia. Quæ ita vera sunt, vt intelligamus duplex nutrimentum nobis ex hoc sacramento prouenire. Vnum est naturale, à symbolorũ natura pane & vino, quibus vsu communi alitur humanũ corpus, cui generi nutrimenti,

Ex eucharistia duplex nutrimentũ habemus

menti, etsi non aſpernandum ſit, non tamen multum tribuit Irenæus, & alij veteres. Alterum eſt, quòd dum percipimus ſacramentum, animo & fide complectimur Chriſti corpus & ſanguinem, et ibi primùm noſtra mens impletur ſpiritu & gratia, deinde corpus reparatur, vt organum ſit & inſtrumẽtum in dies ſpiritui magis idoneũ, et ita reſurrectiõis beatæ redditur magis capax, et hoc clarè expreſsit Irenæ⁹ quãdo inquit: Panis à terra uocationem Dei percipiẽs, non eſt amplius communis panis, ſed efficitur Euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrena et cœleſti, ſicut corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, non ſunt amplius corruptibilia. Et hoc pacto veræ noſtræ reſurrectionis futuræ, ex euchariſtia rationẽ affert. TRES. Quòd dicis Iræneum panem hic nominare, & ideo vtrumq; velle, et ipſum & corpus Chriſti in Euchariſtia eſſe, & iſta optimè valere, vt ſit firmum argumentum eius contra Valentianos, non mihi ſatisfeciſti. Nam quo ſenſu litteræ ſacræ nominant panem in hoc ſacramento, illo eodem loquitur et Ire-

næus. Isq; apertissime dicit, corpus Domini verum in Eucharistia esse, & panem ideo nominat, vel quia fuit panis, vel quia retinetur species panis. MART. Concedo sane, quod eodem sensu loquitur Irenæus de pane quo & sacræ litteræ, & ideo ita ab ipso, vt ab illis hic remanere conceditur. Quod vero dicat in pane esse corpus Christi, vt vos ponitis, in verbis eius nequaquam ostendes. Et panem, eo sensu quem tu ponis, à scriptura nominari, iam sæpius refutaui. TRESH.

Chryſoſ. *Chrysost. hom. 61. ad Populũ Antioch. et super Io. hom. 45. habet. Vester ego frater esse volui, & communicaui carnem propter vos & sanguinem, & per quæ vobis coniunctus sum, ea rursus vobis exhibui. Vnde rursus patet, carnem & sanguinem per quæ noster cognatus factus est, in Eucharistia tradi. MART. Carnem Christi exhiberi communicantibus in Eucharistia, cõcedo, disputatur autem de modo, quem ego pono spiritualem: neque propterea intelligo ficti-tiam carnem nos percipere, neque fictitium corpus, sed in sacramento, & per fidem nos*

ista

ista verè sumere, & illis vniri. TRESH. Quod tu dicis, spiritualiter, nõ est in his verbis Chrysost. & per fidem sumere possumus etiam absq; sacramento. MARTYR. Licet Chrysost. hoc loco diserte non scribat, spiritualiter, attamen id satis alibi expressit, quando ait: Quæ dantur nobis intelligibilia esse. Et quod obycis, perceptionem corporis Christi per fidem, posse etiam absq; sacramento haberi, admitto. Nam & cum symbolis, & absque symbolis, dum recolimus Christum pro nobis crucifixum, & sanguinem eius pro nobis fusum, atque ita credimus, eius verè efficimur participes: verum symbolis adiunctis, quibus ut instrumentis, spiritus sanctus vtitur ad fidem magis imprimendam animis nostris, plurimum adiuuamur. Sumus enim ad diuina tardiores, et idcirco nobis opus est exter nis symbolis.

Intelligibilia sunt quæ dantur nobis in Eucharistia.

Et cũ symbolis & absque symbolis participes sumꝰ corporis & sanguinis Christi.

DISPVTATIO QVARtæ diei, habita inter Doct. Gulielmum Cheadzeum, quã opposuit Doct. Petro Martyri die prima Iunij.

PRAEFATIO D. GVlielmi Cheadzei.

VERVM esse comperio, & certo certius experientia edoceor, quod habet Gregor. ille Nazianzenus, cognomento Theologus, lib. 3. de Theologia. Τὸ μὲν ἐπιτιμᾶν ὀ μέγα, ῥᾶστον γὰρ, καὶ τοῦ βουλομένου πάντος τὸ δὲ ἀντεισάγειν, τὴν ἑαυτοῦ γνώμην ἀνδρὸς εὐσεβοῦς καὶ νοῦν ἔχοντος. *Alienam sententiam explodere, non magnum, imò facillimum cuiuis, suã verò contra probare, viri est planè cùm pij tum prudentis. Nã si nudis verbis res agatur, eueniet quod verè dixit argutus ille dialecticus apud Nizæam: Donec verbis agitur, verba verbis opponuntur, & quæ dicuntur, dicendi arte subuer-*

tuntur. Si ad sensus examen prouocetur, reclamabit Paulus, Animalis homo, non percipit ea quæ sunt spiritus dei: Stultitia enim est illi, nec potest intelligere, quia spiritualiter examinantur. Si ad rationem & profundam sapiẽtiam appelletur, mox dicetur: Sermo meus et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, vt fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute dei. Propterea in re tam ardua disputare, & rationibus probare, quod sola fide et credulitate esset tenendum, periculosum est, et sine singulari dei dono, nemini cõcessum. Maximè, vt est illud Hiero. Ad Paulinum, vbi inter eos disputatur, qui ad scripturas sanctas, post seculares, literas venerint, & sermone composito aurem populi mulserint: Quicquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec scire dignantur, quid Prophetæ, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incõgrua aptant testimonia. Quasi grande sit, et non vitiosissimum dicendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam scri-

pturam trahere repugnantem: ibi tropum agnoscere, vbi nullus est tropus, ibi figuram fingere, vbi veritas est, eò trahere omnia, quò tẽdit affectus. His verè competit, quod habet August. de doctrina Christiana lib. 3. cap. 10. *Si animũ præoccupauit alicuius erroris opinio, quicquid aliter asseruerit scriptura, figuratum homines arbitrantur. An hoc nõ est seruire affectui? Cùm apertis verbis scriptura dicat, Hoc est corpus meũ, interpretari, hoc significat corpus meum: cùm patres asserant veram carnem & verũ sanguinem, glossare, spiritualiter, aut loqui patres hyperbolicè: cùm panem tradant non effigie, sed natura mutari, ad vsum tantum sacrum referre? Sed scripturas inducunt? non, sed scripturas obtẽdunt, vt inquit Tertul. & hac sua audacia quosdam mouent, in ipso quidem congressu firmos fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Nobis ergo sedulò agendum est, vt aperiantur oculi nostri, precibus impetrãdum, vt qui author est scripturarum, idem sit & interpres, idem aperiat sensum, vt intelligamus*

Hoc sacrę litteræ, natura sacramenti & patres docent.

gamus scripturas. Qui loquitur lingua, oret vt interpretetur. Sic pro verbis, procedet virtus, pro ratione, fides, ut non fluctuemus omni uẽto verbi, sed in eo verbo radicati et insiti, quod potest animas nostras seruare. Et vt hoc eueniat, consueta mea oratione mecum apud sanctum spiritum agite. Veni sancte spiritus, Deus qui corda fidelium. MAR. Quæ in prologo satis aculeato iam dixisti, quàm parum in me quadrent, non tentabo exponere. Hoc duntaxat admonebo, sanctas scripturas me nunquam aut inuertisse aut vitiasse, vt qui nec etiam confinxerim tropos, vbi locum non habent, neque nouos inuexerim, sed vsitatos, & quos ferè omnes patres agnoscunt. Verùm in his refutandis tempus nolim conterere. Sunt enim complura mihi dicenda pro confirmatione mearũ quæstionum, vti de more fieri cõsueuit ab his, qui sunt in disputationibus respõsuri, ne videãtur absurda tueri: Quibus etiã poterit agnosci, quã parum spectent ad meã sententiam, quæ tu præfatus es. Heri sanè constitueram id facere, sed quia nescio

quo casu coactus sum agere cum alio antagonista, atq; decretum fuerat: visum fuit, vt ab eo me cito expedirem et cum ordinario disputarem, hæc tunc missa facere, & in hodiernum diem reijcere. Vt autem fœliciter succedat inceptum, quemadmodũ hactenus consueui, dei auxilium implorabo.

PRECES.

AGnoscimus, omnipotens Deus, infirmitatẽ nostræ mentis, ideo ad tuã veritatẽ et cõtemplandã et explicandã non audemus accedere, nisi prius, vt par est, nomẽ tuum inuocauerimus. Rogamus itaque ardentissimis votis, vt qua præditus es bonitate, tenebris nostris lumen infundas, & beneficio tui spiritus quæ dubia inciderint sic illustres, vt credentibus via salutis quàm manifestissimè patefiat, per Christum Dominum nostrum. Amen.

CONFIRMATIONES primæ quæstionis.

AAd quæstionem primũ confirmandã, præter eas rationes quas audiuistis inter

ter disputãdũ elapsis diebus, et has modò adjiciam: In Baptismo, Christũ nobis verè tradit. Paulus testatus est ad Gal. quando scripsit: Quotquot baptizati estis, Christum induistis. Et in epist. ad Rom. per Baptismũ ostendit nos Christo inseri. Et in priore ad Corint. hæc duo sacramenta coniungit, cũ dicit, nos baptizatos in vnum corpus, & potatos eodem spiritu. Nec tamen vlli dicũt ad Christum verè accipiẽdum in baptismo, opus esse transubstantiatione, vnde consequitur eam quoq; in Eucharistia esse supernacaneam. Neq; facile est vt dicatur, præstantius Christum nobis tradi in Eucharistia quàm in baptismo, quandoquidem in eo regeneramur per baptismum, & in eo cibamur per Eucharistiam. Nemini autem dubium est, plus nobis adferre substantiæ generationem, quàm nutrimentum. Mitto quod Hieron. Scripsit ad Edibiam, nos in baptismo corpore & sanguine Christi vesci. Et Aug. ait, corporis & sanguinis Christi nos effici participes per baptismum, etiam antequam panẽ domini & calicem bibamus.

Prima ratio à baptismi sacramẽto.

Christus tã nobis traditur in baptismo quam in Eucharistia.

Secunda. Nos sumꝰ corpus Christi & in ipsum no: transubstantiamur.

Altera ratio, ut Christꝰ dixit, Hoc est corpus meum, ita etiam dixit, Vos estis corpus Christi, per os Pauli. Et tamẽ ad hoc vt verè efficiamur corpus Christi, transubstãtiatio nõ requiritur: Cur igitur non erit verum de pane, quòd sit corpus Christi, nisi interce

Nos magis sumꝰ corpus Christi q̃ panis.

dat transubstantiatio? Imò si quis rem bene voluerit expendere, magis nobis quàm pani coniungitur corpus Christi, quia quod panis habet, idcirco habet, vt nobiscum Christus per ipsum cõiungatur & verba per quæ panis ad sacramentũ deducitur, magis ad nos pertinent, quàm ad panẽ, qui sensu et fide om

Tertia.

nino caret. Deinde periculosum est per transubstantiationem sensibus illudere, quia tũc perit probatio veræ Christi resurrectionis, quam apostolis exhibuit dicens: Palpate et videte, quoniã spiritus carnem & ossa non

Transubstantiatio Martionizat.

habet. Et Martionitæ, facilè dixissent Christum non habuisse verè humanũ corpus, sed tantum eius accidentia et figurã, sicuti vos de pane dicitis, non est panis, quanquam ita

Eueniuntur argumẽ a quibus pa-

videatur quò ad eius proprietates: & externam formam. Patres etiam se existima-

runt

runt efficaciter probare Christũ fuisse verũ hominem, ex humanis affectionibus et proprietatibus, quas de eo scripturæ produnt, quòd videlicet esurierit, sitiuerit, fatigatus sit, doluerit, admiratus sit, & alia huius generis. Quæ argumenta exemplo vestræ transubstantiationis negari possent, & dicerent hæretici: Sicuti non sequitur: In sacramento Eucharistiæ sunt proprietates panis et vini, igitur ibi verè est substantia panis et vini: ita non sequitur, in Christo fuerunt proprietates & affectiones hominis, igitur verè habuit substantiam humanam: atque ita grauissimis erroribus aperietur fenestra. tres probant Christi veram humanitatẽ ab eius proprietatibus.

Præterea, hac sua transubstantiatione non necessaria, peruertunt rerum naturam, cũ à substantia & proprio subiecto abstrahunt accidentia, quod longè plus est, quàm separare substantiam à quantitate, quod etiam supra, vt est eorum audacia, facere contendebant, quandoquidẽ accidens posterius est substãtia. Nec audimus antiquos patres, huius tã stupendi miraculi facere alicubi mentionẽ, cumq; essent eruditi & probè Quarta ratio. Peruertitur ab illis ordo naturę sine necessitate accidentibus auferunt subiectũ & corpori locum-

intelligerent, quid ſubſtantia, quidue accidens definiatur, rem tantam minimè fuerãt ſilentio prætermiſſuri. Nazianzenus *miracula à Chriſto ædita carmine cecinit, et Auguſtino tribuitur liber de mirabilibus ſcripturæ ſanctæ, neque ibi accidentium ſeparatorum à ſubiecto, ſit vlla memoria. Accedit, idem fuiſſe comedens et comeſtum, nam Chriſtus cum apoſtolis in cœna communicauit: Igitur ſecundum iſtos, realiter et per tranſubſtantiationem manducauit ſeipſum. Fac etiam in illa cœna, quam Chriſtus primam celebrauit cum apoſtolis, aliquid reliquiarum ſuperfuiſſe tranſubſtantiati panis, quod reſeruatum fuerit in diem craſtinum, quando Chriſtus eſt crucifixus et mortuus: Nonne corpus in illo pane fuiſſet anima & vita priuatum? ſi neges, conſequitur idem corpus ſimul & eodem tempore mortuum fuiſſe & viuens: Quòd ſi dixeris, in pane quoq; obiiſſe, tunc ſequitur mutationem in eo factam, & quidem realem ac naturalẽ, quæ omnia in eo pane locum habere non poſſunt, vt ſcilicet ibi et crucifigeretur et vulnera-*

Quinta. Idem comedit ſeipſum. Sexta.

Abſurda multa ſequuntur ad tranſubſtãtiationem.

peraretur: nam ad hæc non solùm quãtitas, sed & modus quantitatis riquiritur, quæ à corpore Christi in Eucharistia magna contentione remouent. Et si multum panis, & bona copia vini transubstantiaretur à sacrificio, qui ea comederent & biberent, profecto implerentur, nutrirentur, illisq; venter distenderetur: atq; hæc omnia tribuent isti viri accidentibus. Si comburatur eucharistia, cineres apparent, si putrescat, ebulliunt vermes, atque ita substantia fit ex accidentibus. Sed tamen, vt audent quiduis, confingunt deũ creare subinde nouas substantias, quæ succedunt accidentibus, vel præteritas per miraculum reuocãt, atque miracula miraculis coaceruãt. Nam si mures arroserint conseruatum hoc sacramentum, quid comedent? dicunt accidentia. Sed quomodo non & corpus Christi, cum ipsum alligent accidentibus quòad salua permanserint? quibus corruptis, corpus quoq; Christi inde auferunt. Sed quô abit discedens? num in cœlũ? at ibi iam est & antea fuerat, qui potest eô abire? Si esse desinat, igitur destruitur &

corrũpitur, quod à corpore glorificato multũ abest. Contingit quandoq; & vomitus, post communionis perceptionẽ, ut Cyp. testatur de quadã puella, et inquit potum in sanguinem consecratũ, erupisse ex eius visceribus. quid ibi fiet de sanguine Christi? Et quando aiunt, panẽ corpus Christi transubstantiari, & ita transubstantiari, vt ibi nõ sit localiter: ab eis quærimus, spatium aut locum à substantia panis relictum, quidnam impleat, aut occupet? Nam si hoc non datur corpori Christi, vacuum remanebit, et nulla re solida implebitur. Atq; præter id quod accidentia destituunt proprio subiecto, ut nihil desit ad prodigia, tribuunt illis, vt negare non possunt, varias actiones et passiones, cùm tamen requiratur inter agens et patiẽs eiusdem materiæ communio. Et cùm fractio in hoc sacramento aperte conspiciatur, aiũt se frangere accidentia, quod Mathematici de sua quantitate per cogitationem abstracta dicere non auderent, se videlicet eã realiter posse diuidere. Et Platonis Ideæ, prout eas Aristoteles insectatur, minus habẽt absurdorum,

Octaua. Reliquũt spatiũ vacuum.

Nona. Quomodo ibi actio vel passio cũ materia subducatur.

Fractio quomodo est ablato pãe.

ſurdorum, quàm hoc figmentum tranſubſtã tionis ſecum ferat. Sed quid? omnia ſoluũt, miraculis. Verũ ita vnicuiq; facilè eſſet agere theologum, ſi per miracula omnia ſoluenda eſſent argumenta, & potiſſimum cũ ſit dogma theologicum. Non eſſe multiplicanda miracula abſq; neceſſitate, quam hic nullam potuerunt vnquam demonſtrare.

CONFIRMATIONES ſecundæ quæſtionis.

FInis comedendi Chriſtũ, atq; ſuſcipiendi hoc ſacramentum, eſt, vt viuamus, habeamus vitam æternã, non moriamur, Chriſtus maneat in nobis, & nos in ipſo, quẽadmodum teſtatus eſt Chriſtus in Ioan. cap. 6. Cæterùm hæc beneficia, atq; cõmoda, tã bene haberi poſſunt, ponendo coniunctionem corporis Chriſti cum pane & vino per ſignificationem ſacramentalem, quàm ſi ſtatuamus realiter vel ſubſtãtialiter ipſum deliteſcere in ſymbolis. Nam id nihil adferet nobis gratiæ vel ſpiritus, vel inſtaurationis, Prima. Cõmoda & beneficia huius ſacramenti tam habentur abſque preſentia reali quã cũ ea igitur ſuper fluit.

quod à Christo existente in cœlo, & fide à nobis percepto, non possumus abunde consequi. Non enim potentior est in symbolis latitans, quàm regnans in cœlo. Neque præterea censenda erit communio superuacanea, quoniam & absq; illa possumus Christum comedere: nam etsi hoc liceat vbicunq; facere, nihilominus, vt est nostra infirmitas, ope & auxilio symbolorum adiuuamur, & de sumendis eis expressum habemus Christi mandatum.

Secunda. Deinde repudianda est ea mãducatio quã Christus confutauit, sed carnalem sui corporis manducationem confutauit. quando egit cum Capernaitis, igitur est auferenda. Neq; iuuat, si dixeris Capern. ideo reprehensos, quòd existimarint corpus Christi dilaniandum & discerpendum, quasi more ferarũ, inuitarentur ad esum humanæ carnis, quæ cedenda esset et erogãda vt fit in macello, nã hoc soletis prætexere. Non enim refert, an per frusta, an totũ simul integrũ corpº Christi edatur ad carnalem comestionẽ inducendam. Neq; enim verum est, quod sit spiri-

Christus cõfutauit manducationẽ cor poris sui carnalẽ.

tualis

tualis esus, si totum corpus manducetur, et carnalis, si per partes concidatur: nam secundum hanc distinctionem, bellua marina ingens, quæ Ionam deuorauit, comedisset illũ spiritualiter, quia totũ vno transmissu deglutijt. Aperte docet Christus, aliter se accipere spiritualem manducationem, cùm ascẽsum in cœlum illis proposuit, eo enim demonstrauit, se de manducatione egisse, quarem absentem loco & substantia, posßumus fide comedere. Et vti Nicodemum reuocauerat ab externa & corporali generatione ad spiritualem, quam animo & interiori homine assequimur, Samaritanamq; subuexit à corporali & externa aqua ad potum, quo animi nostri reficiuntur, spiritu sancto inquam: Ita Christus Capernaitas, qui de sua carne exterius & carnaliter comedenda iã cogitabant, docuit eam manducationem, quam animo percipimus, et fide complectimur. Præterea, non minus accipimus corpus & sanguinem Christi in verbo dei, quàm in hoc sacramento: Quid enim sunt aliud sacramẽta Aug. testimonio, quàm verba vi-

Aliud simile.

Non minus accipimus Christum in verbo quã in Eucharistia.

Tertia ratio.

ſibilia? Imò idem Augu. vt habetur de cõſecr. diſtinct. 2. cap. Interrogo vos ait: Non aliquid minus eſſe verbum Domini, quàm Euchariſtiam. Hieron. item in eccleſiaſten atteſtatus eſt, nos in ſacris litteris carnem Domini manducare, & cruorem eius bibere. Orig. idem ſcripſit ſuper Math. tract. 35. & in numeros homil. 16. Chryſoſt. ſuper Ioan. Ho. 45. & Baſilius epi. 141. Quin et ipſa ratio ſuadet: Nam quod habet panis in ſacramento fructus aut gratiæ, per verbum adipiſcitur. Et ad hæc, verba clarius quàm ſymbola, & exprimunt & ſignificant ſacramenti rationem: Cùm itaq; non ponatur corporaliter & realiter in verbis hærere corpus Chriſti, cur magis in pane aut vino id conſtituemus? Huc accedit, quod in prima Ioan. cap. 1. habemus, nos emundari et ablui ſanguine Chriſti, quod ſanè fit quoties ad illum nos conuertimus, & fide & pœnitentia ad illum redimus: neque tamen oportet, vt quoties abluimur, præſens nobis realiter & corporaliter adſit, ſed ſatis eſt,

T irequi- *vt mente fideli capiatur: Vnde poterit etiam*

comedi

comedi corpus Christi & sanguis bibi absens, quando præsentia realis tã videtur exigi ad abluendum, quàm ad comedendum et bibendum, si naturaliter & crasse ista intelligamus fieri. Verumtamen est aduertendũ, quando dicimus corpus & sanguinem Domini fide percipi, nos ista no ponere omnino abesse, efficiuntur enim vi fidei et spiritualiter nobis præsentia. Dicit enim Paulus ad Ephe. Iam nos cõsedisse cũ Christo ad dexteram Dei in cœlestibus. Idemq; ad Rom. ait, nos spe saluos factos esse: et ad Gal. ait: Quibus ob oculos præscriptus est et in vobis crucifixus. Postea scriptura sancta nobis tantum cõmemorat geminum CHRISTI aduentum, primum humili forma ad redimendum, alterum glorioſa ad iudicandum. Vos autem confingitis singulo quoq; die infinitos: Nam vbicunq; missatur, aut fideles communicant, statuitis realiter & substantialiter corpus CHRISTI adesse, cuita men nec formam humilem conceditis, neque tribuitis glorioſam, sed medio quodam modo symbolis sacramentalibus alligatis,

ritur præsens sanguis ad abluendũ nos quã vt nobis potetur. Vi fidei corpus & sanguis efficiuntur præsentia non tamẽ corporaliter aut substãtialiter.

Quintum Tantum scriptura tradit duplicẽ aduentum Christi.

de quo nec scripturæ loquuntur, neq; vlla efficax ratio adfertur. Item cùm cœnam domini sacramentum esse omnes consentiant, & sacramenti definitio sit, Visibile signum inuisibilis gratiæ, patet, nos magis eius rationem cõseruare quàm vos, creditmus enim coniungi corpus Christi symbolis per significationem: quiq; vel transubstantiationem vel corporalem præsentiam adseritis, non effugitis quin etiam impij & infideles Christũ comedant: Quod vt sit absurdum, iam, demonstratum est. Postremo, quando scriptura sancta nobis aliquid generaliter credendum proponit, conuenit, vt nos illum modũ nobis deligamus (si quis est deligendus) qui sit facilior & expeditior, nec auocet homines, sed potius manuducat ad fidem, atq; ad eum minora pauciora; consequãtur absurda, nec miracula multiplicentur. Id autem vos minimè præstatis, qui modos delegistis ad quos tuendos infinitis opus est miraculis, & absurda concurrunt sine modo. Et hæc quo ad confirmationem duarum propositionum quæ agitantur, volo sufficere. Verùm

Sexta. Ratio sacramenti magis cõseruatrĩ significatione quã in præsentia corporali.

Postrema ratio.

Regula ad his quę generaliter nobis credenda proponũtur in scriptura.

antequam

antequam aggrediaris mihi obijcere aliquid volo bona fide præstare, quod tibi sum pollicitus cum incipiebas contra me agere, in altera nostra disputatione. Suscepisti enim in tuo proœmio quandam prouintiam, quæ tibi non erat necessaria, videlicet vt ostenderes solutiones, quas oportuisset adhibere argumentis quæ ego obieceram Doctori Treshamo, cum quo pridie eius diei disputaueram, & illis dixeram non fuisse satisfactum. Argumentum meum ex Cypriano istud fuerat: Sicut in persona Christi humanitas videbatur, et latebat diuinitas, ita sacramento visibiliter diuina se infudit essentia. &c. Vnde concludebam: sicut in CHRISTO manſit integra humanitas, ita in sacramento esse conseruandum verum panem. Conatus es respondere collationem Cypriani non debere accipi quo ad integritatem duarum naturarum in CHRISTO, sed quo ad latebram, nimirum quod sicut in homine Christo latebat diuinitas, sic in accidentibus, id est in specie et forma panis, lateat corpus CHRISTI. Hanc arbitraris argumenti esse solu-

Ad solutiones argumentorum quas iſti tupra induxerant.

De argumento ex Cypriano.

tionem, sed re vera non est, quia scopus Cypriani in ista collatione, nõ fuit latentia, vt ipse fingis. Cæterum ab eo exprimitur satis manifeste, cum inquit: Vt esset religioni circa sacramenta deuotio, et ad veritatẽ cuius corpus sacramenta sunt, syncerior pateret accessus. Pro me autem quàm verba eius faciant, considerate: Sacramento, inquit, visibili, diuina se infundit essentia. quod si se illi infundit, naturam eius non excludit, vt vos fingitis, imò potius cõseruat, etenim quæ infunduntur alicui, nequaquam ipsum perdũt. De latentia verò quam causaris, ego quoq; illam habeo cõmunem tecum, nam corpus Christi quod significatur sacramento, nequaquam in illo videtur, sed latet, sicuti in scripturis dicitur latere sensus sub litteris. Latentiam ergo tuam & ego habeo, sed tu naturarũ integritatem prorsus reijcis, quã Cyprian. exprimit. Ad id verò quod postea inducis de Athanasio, idem sentio quod & tu respondes, non debere simile tenere, quod ad omnia, sed tantum quo ad illa quæ exprimuntur: Videas itaq; Athanasium apertè

dicere,

dicere, Christum ex duabus naturis consta re, & simile adducit de homine qui duabus item rebus componitur: huiusq; tenet similitudo, non vlterius extendi debet. Ita Cyprian. exprimit diuinam essentiam se infundere sacramentis: vt in persona Christi videbatur humanitas & latebat diuinitas, nil dico, quod ipse non habeat, nil accipio, quod ipse non offerat, nil exterius accerso, tãtum dico vna cum eo hæc duo in Eucharistia haberi, scilicet diuinam essentiam quæ infundi tur, & sacramenta quibus infunditur. Tu vero hic alia inducis de separatione diuinitatis quæ non sunt ad propositum. Quod si diuina essentia perdat sacramentorum naturas atq; substantias quibus infunditur, tũc simile de Christo prorsus locum non habet. Ad Gela. vero quem citaueram, respon- De Gel. des, illum partim fuisse Nestorianũ, & partim non, et aiebas non sequi: Is nõ fuit ex toto Nestorianus, ergo ex parte non fuit, ideo subdebas licuisse eum negare, sed tamen confingebas apud eum quod scribitur (Non desinere substantiã uel naturam panis et vini) Legas ei epistolas synoda-

les, legas Trithem. & semper legis fuisse & sanctissimũ & fidelissimum põtificẽ Gelasium.

habere secum interpretationem: quoniam adiectum est: Permanent tamen in suæ proprietate naturæ) id est in accidentibus, quæ habent nutriendi facultatem, retinent eundẽ saporem, eandẽ figuram, & colorẽ. &c. Sed hoc non est dilucre argumentum: Quod enim primum insimulas Gelas. hæreseos Nestorianæ, mihi est nouum & inauditum, nõ laborauit iste vir ea infamia. Tua præterea expositio, quod panis & vinum sentiat manere in suæ proprietate naturæ, id est in accidentibus, aliena est: nam per proprietatem naturæ non intelligit nisi propriam naturã quam substantiam appellamus: Et hoc demonstro, quia si tua interpretatio admittatur, tunc prorsus inefficax est argumentum Gelasij. Nam contra Eutychẽ agit, qui volebat corpus Christi non mansisse, verum in diuinitatem conuersum: & argumentatur à natura sacramenti Eucharistiæ, quod vult habere duas partes, nimirum panem et vinum, quæ symbola sunt, & res sacramenti, id est, corpus & sanguinem Christi, & & ratiocinatur. Si duo hæc integra manẽt

in

in ſacramento, ergo & in Chriſto ſunt duæ integræ naturæ: vnde, vos cum per tranſubſtantiationem auferatis panem, & accidentia ſubſtituatis, argumentū prorſus eneruatis. Nam & Eutyches conceſſiſſet, ablata corporis Chriſti ſubſtantia & in diuinitatem conuerſa, eius accidentia ſupereſſe, ut homo videri poſſit, cum tamen reuera homo non ſit. Nec aduerſatur quòd ex Auguſtino citas, Chriſtum eadē carnis forma atq; ſubſtantia vēturum, quemadmodum ire vidiſus eſt in cœlum, quaſi ſubſtantiam ibi proprietates intelligat & accidentia, quod neutiquam verum eſt, imò contra te facit, nam vult ibi Auguſtinus, cum vera humanæ naturæ ſubſtantia Chriſtū venturum, nec alio pacto accepit Gelaſ. manere ſubſtantiam panis. Deinde locum ex ſentētijs Proſperi, Sicut Chriſti perſona conſtat ex deo & homine, cum ipſe Chriſtus verus ſit Deus, & verus ſit homo, quia omnis res illarum rerū naturam & veritatem in ſe continet, ex quibus conficitur &c. Conatus es eludere, dicendo, Sacramentum eſſe illud externum Ad Aug.

quod apparet oculo, rem autem ſacramenti corpus Chriſti, nam ibi Augu. vocat (ipſum & non ipſum) Inutilis eſt reſponſio, quia ex Auguſtino rurſus habes quod ex Cypriano & Gelaſio audiueras, uidelicet idem contingere huic ſacramento & Chriſto, nimirum vt ex duabus veris naturis conſtet. Et oportet, vt diligẽter verba expẽdas quibus dicitur: Quod omnis res illarum rerũ naturã et veritatẽ continet, ex quibus cõficitur, confici autẽ hoc ſacramentũ ex pane et vino quis dubitat? Vnde ſi contineat iſtarum rerum tantum accidentia, non continebit, vt dicit Aug. illarũ rerum naturam et veritatem. Ad Aug. vero ad Dardanum, quod oporteat Chriſti corpus eſſe in vno loco certo, propter veri corporis modum, aiebas reſpondendum, quo ad humanam formam, ſed inuiſibili ſpecie, vt eſt in ſacramento, poſſe eſſe in multis locis. Hic quoq; nihil reſpondes. non enim mihi expendis illa verba, (propter veri corporis modum) nam ſubſtantia quæ caret modo corporis, non eſt verum corpus, & ita in Euchariſtia non ponetis

Ad epiſtolã ad Dardanum.

ponetis verum corpus Christi. Deinde non recenſes plene argumẽtum meum, ex Epiſt. ad Dardan. nam dicebam, Cum Auguſtinus non audeat tribuere animæ Christi, vt ſimul & eodem tempore potuerit eſſe & in inferno, & in paradiſo, hoc eſt in cœlo cum latrone, quomodo id corpori concedemus, quod non eſt ſpiritus, quemadmodum anima? Hoc meum erat argumentum, quod adhuc & inuictum & inſolutum manet.

Gẽnadio Theodoreto bonum teſtimonium reddit.

De Theodoreto, aſſeruiſti eum habere eundem ſenſum, cum dicit: Panem non mutare naturam, quem alij patres habent, cum aiunt, Panis & vini manere naturas: Intelligunt enim proprietates: id eſt accidentia. Hoc etiam quam nihil ad rem faciat, ad ea te remitto, quæ diximus de Gelaſ. Nam vtrique agebant contra eundem Eutychem, & nihil concluderent, ſi pro ſubſtantia vel natura panis quam dicunt manere, intelligerent accidentia. Atque ita exponimus Theodoretũ, vt conſentiat cum omnibus alijs patribus, à quibus proculdubio panis in Euchariſtia retinetur.

De Theodoreto habet alibi & in 2. hiſt. Tripart.

Ad Orig. Fatebaris postea vera esse quæ Orig. habet in fragmentis, super Mat. cap. 15. Quod scilicet materiale panis huius in secessum uadat, & atebas ipsum se interpretari, iubens, vt non inhæreremus carni & sanguini, sed reciperemus sacramentum verbi. Et ita inferebas verti hoc symbolum in cineres malis, sanctitate transeunte, vt Cyprianus loquitur. Miror te distinctionem hic facere bonorum & malorum, cum generaliter loquatur Origenes de materiali huius panis, & velit Christi verba ostendere vera esse: cum dixit: Quod intrat in os, non coinquinat hominem, sed in ventrem mittitur, & in secessum vadit. Mouerat sanè quæstionem, quomodo hoc uerum esset de pane Domini quod in secessum vadat: Respõsio eius est, hoc intelligendum esse quo ad materiam, non autẽ quoad sanctificationem. Tu autem videris statuere hoc tantum intelligẽdum esse quoad malos, et ponis simile esse ei quod Cyprianus refert de conuersione in cinerem. Vbi quæro ex te, quid sit illud quod in cinerem conuertitur? non corpus Christi, quippe nefas

fas esset, non accidentia, nisi velis ea parere substantiam. Scio confugies ad miracula, hoc est Deum creare nouam materiam, vel pristinam redire facere: sed ista nunquam cogitauit Orig. cuius iam ex me planam sententiam audiuisti. Quodq; adducis ex Cypriano, miraculum fuit, ac propriè ab eo potuit dici, vt fieret conuersio in cineres, quia ille panem retinet, qui conuerti per miraculum potuit: Sed vos cum remoueatis panis substantiam, nihil habetis quòd dicatis conuerti vel in cineres, vel in excrementa: vnde si velitis nouam materiam creari, ibi non debetis cõuersionem, sed creationem statuere. Demumq; ut dixi, sentẽtia Origenis est vniuersalis, tam bonos quam malos respiciens. Irenæo quoq;, dum ait: Panis in quo gratiæ actæ sunt, corpus est domini. & rursus: Eũ qui ex creatura panis est, accepit, ac gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum, & calicem similiter qui est ex ea creatura quæ est secũdum nos, suum sanguinem confessus est: Respõdebas omnia hæc referenda esse ad panem ante consecrationem, quandoquidem

tum est creatura secundum nos, sed iam ex ea materia, accedēte verbo, fit corpus Christi, nec manet illa creatura pristino modo. In responsione tua, duo committis vitia, quia primo non satisfacis verborum sensui. Nam Irenæus quam apertissime, de eo super quo gratiæ actæ sunt pronunciat, & quod sit panis & corpus Domini, nam gratias actas esse tempus notat præteritum, & tamen adhuc nominat panem. Deinde tacitus præteris illam similitudinem, quam egò maximè vrgebam: Quemadmodum panis à terra percipiens uocationem, non amplius est communis panis, sed fit Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti, sic & nostra corpora percipientia Eucharistiam, non sunt amplius corruptibilia: & concludebam talem esse in sacramento mutationē panis, qualis est nostrorum corporum: Hic nihil dicis. Obiectus est Gregor. in Registro, qui ait: Tam azymum quam fermentatum dum sumimus, vnum corpus domini nostri saluatoris efficimur. Occurrebas eū nil aliud velle, nisi sacramentum posse confici, tā ex

Ad Iren.

Hic pugnat cum Antagonista prior.

azymo

azymo quam ex fermentato, non quod intel ligat panem manere. Hic similiter confugis ad solitam stropham de pane ante consecrationem, sed hoc quin facias, obstant verba Gregorij: nam inquit, tam azymum quam fermentatum dum sumimus: Et verbum præsentis temporis, denotat manifeste nos in communione sumere, vel azymum vel fermentatum panem, neq; enim sumitur sacramentum nisi post consecrationem. Verba Epiphanij quibus eram argumentatus, prolixe voluisti legere, quæ ita habent: Surrexit in cœna, et vt gratias egisset, dixit, Hoc meum est, & hoc & hoc. Et videmus quod non æquale est, neque simile, non imagini in carne, non inuisibili deitati, non lineamentis membrorum, hoc enim est rotundæ formæ & insensibile quantum ad potentiam, & voluit per gratiam dicere, Hoc meum & hoc & hoc, & nemo non fidem habet, &c. Hoc tu interpretaris, id quod est sub rotunda figura esse insensibile, & infers, ex ijs intelligi licet, quod quisquis non credit ibi esse verũ corpus Christi, excidit à Epiphanius.

gratia & ſalute. Argumentum meum fuerat inductum ad probandum corpus Chriſti dictum fuiſſe à domino de pane, quod aduerſarius meus negabat: nã abſurdum eſſe aiebat, ſi vel panis vel accidentia dicerentur eſſe corpus Chriſti. Contra eum induxeram iſta Epiphanij verba in quibus apertè dicit, de eo quod eſt rotundæ formæ Chriſtum voluiſſe per gratiam dicere: Meum eſt, & hoc & hoc, id eſt corpus: Et ipſum rotundum, vt intelligas panem eſſe, appellat inſenſibile quò ad potentiam, quod nequaquam ſentiẽdũ eſt de corpore Chriſti, ſubdit enim, Dominum verò noſtrum nouimus totum ſenſum, totum ſenſitiuum, &c. Neq; rurſus quando ait: Hoc enim eſt rotundæ formæ, potes intelligere accidẽtia, quia illa ſunt ipſa rotunditas, non formæ rotundæ, in genitiuo caſu. Nec demõſtrari poteſt corpus Chriſti, cum ipſum rotunda forma non afficiatur. Quare ſtat & firmum eſt quod inde inferebam, Corpus Chriſti iuxta Epipha. de pane dici: & miror te cum ſuſceperis velle diſſoluere argumenta, quæ minimè ſoluta fuerãt, nihil

nihil attigisse de Basilio, Dydimo, Cyrillo atq; Vigilio. Et hæc me scito non tantum cõmemorasse vt starem promissis, verum etiã quo non sine fructu essent, quæ in prima disputatione obieci, quibus asserebas te vereri, ne qui audiuerãt, seducerentur. Fuit itaq; operepretium, vt quæ non ad seducendum, verum ad docendum dixeram, vt finem assequerentur, hoc pacto confirmare. Nũc autem per me tibi fit potestas obijciendi, quicquid volueris. CHEAD. Bonam partem consumpsisti temporis, quo potuissemus disputare, in his tuis recensendis, & nunc videris id instituere vt ego personam mutem, et fiam ex opponente, respondens. Quod ego nõ admisi cum illas proposui solutiones, quæ conueniebant tuis argumẽtis, ab initio priõris disputationis. Eram quippe respondens. Nunc autem à te commemorata sunt extra tempus, quod fieri non debuit. MART. Nihil à me hic peccatum est, nam cõfirmare suas quæstiones antequam disputetur, & communire firmis rationibus, mos est receptus ab omnibus qui disputãt. Et cum obij-

ciendi tẽpus fuerit breue, non potui expedire quas habui præcipuas rationes, ideo vt non viderer asserere falsa & temeraria, saltem hoc loco fuerunt explicandæ. Confutationẽ verò tuarum solutionum, recepi me hoc tẽpore allaturum, quod omnes testari possunt qui & nũc adsunt & tunc adfuerunt. Atq; id tẽporis idoneam causam reddidi, cur tũ su persederim ab eusmodi tractatione, quo scilicet non ageremus actum, & non cogeren tur auditores ea die nihil ferè audire aliud, præter argumẽta quæ pridie eius diei tracta ta fuerant. Mihi etiam non placuit vt ea ar te me cogeres, vt disputarem tecum, nõ pro meo sed pro tuo arbitrio, nam cũ tunc essent meæ partes obiiciendi, liberũ me seruare vo lui, vt inducerẽ argumenta quæ decreuerã, non autẽ illa tractarẽ quæ ipse proposuisses. Et tamẽ si me tunc vrsisses, ac institisses vt res perageretur, morẽ tibi gessissem, sed cũ tacueris, visus sum mihi te consentiente, negotiũ posse differre in hunc diem. Nec debet adeo molestum esse tibi, si nunc paria refero, his quæ mihi tu intulisti. Iustius quippe

est,

est, vt ego mea defendam, quam par fuerit, vt tu aliena susciperes tuenda. CHEAD. Sed ego te nō coegi mutare personam, siquidem tunc obijciebas, & ego respondebam. Nunc verò quid agam? Detur nobis saltem alius dies ad agendum.

ID NEGARVNT DOMINI Visitatores posse fieri, ego alioquin eram contentus.

CHEAD. Itaq; quādo mutandæ sunt personæ, nunc ego istuc veniam, & tu huc accedas si visum fuerit, vt ego istis respondeam, & tu obijcias. MART. Per me tibi liberum est agere quod volueris, si detur alius dies, gaudebo, quod si non potest fieri, et nunc velis exequi, perinde mihi est, agas quicquid volueris.

DOMINI VISITATORES iterum fecerunt ei liberum, ut faceret utrum uellet.

CHEAD. Quādoquidē sic visum est, pergamus. Transubstantiari panē &

vinum in corpus & sanguinem Christi, sic probo: Sexto ca. Iohan. commemorantur quinq; species panis, Prima, qua refecta est multitudo, vnde Christus ait: Quæritis me quia manducastis panem: Secundus panis est fides, de quo dicitur, Operamini cibum qui non perit, sed qui permanet, Illi dixerũt quid faciemus? & Christus respõdit, Hoc est opus dei, vt credatis: Tertius panis est Manna, de quo dicitur, Patres vestri manducauerũt Mãna in deserto, et mortui sunt: Quartꝰ panis est Christus, vnde inquit, Ego sum panis vitæ: Quintus panis nõ est ille quẽ intelligebãt Capernaitæ, id est corpꝰ visibile, sed inuisibile, id est panis sacramẽtalis, litiga bãt enim de hoc genere panis: Itaq; Christꝰ re spondet: Panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita, qui non est alius panis, quam is qui à Christo post in cœ na dabatur, cùm dixit, Hoc est corpus meũ, nec alius quam qui pependit in cruce. Quod si caro est, non igitur est panis. MAR. Panis ille de quo agitur. 6. Ioan. et quem tu nũc in argumẽto accipis, est verè caro et corpus Christi,

Excutiũtur uerba Ioa. ca. 6. Panis quẽ ego dabo caro mea est.

1.
2.
3.
4.
5.

Christi, appellaturq; panis per metaphorã, quæ aptißima est, atq; pulcherrima: Et trãslatio in eo sita est, vt quemadmodum panis nos nutrit & alit naturaliter, ita caro Christi, spiritualiter et fide manducata, nos alit, quo ad animam, & quo ad corpus. Et cum argumentaris: In cœna dedit Christus hanc carnem, quæ metaphoricè dicitur panis, igitur auferenda est naturalis substantia panis: Nego consequutionem, nam hoc sacramentum, ad illam manducationem spiritualem carnis Christi, quam metaphoricè panẽ vocabat in. 6. Ioan. symbola adiecit & externam manducationem veri panis, vt illa spiritualis adiuuaretur, & efficacior esset. Quid enim prohibet, quin ibi promittatur caro Christi danda pro mundi vita, sed non simpliciter ac nude postea data sit, verum symbolis panis & vini adiunctis? CHE. Quod dabatur in cœna, est panis quem promisit Christus Iohan. 6. sed panis ille erat caro sua: & ne dubitaret quis, qualis nam esset caro, adiungit: Quam dabo pro mundi vita. sed illud quod dabatur pro mũdi vita,

Panis ille de quo agitur à Iohã. est metaphoricus.

non erat ſubſtantialiter panis, ergo neq; hoc quod dabatur in cœna fuit ſubſtantialiter panis. MAR. Quod dabatur in cœna, non fuit ſolùm panis qui habetur Iohan. 6. vt in antecedẽte accipis: Sed habuit etiam quem admodum dixi, panem naturalem adiunctũ pro ſymbolo, et is panis ſymbolicus, erat caro Chriſti tradenda in mortem pro ſalute noſtra. Et dum quæris, quomodo panis qui dabatur fuit caro, reſpondeo non ſubſtantialiter, ſed vt loquuntur, ſacramentaliter, id eſt per ſignificationem: Et ſenſus Iohannis eſt, Chriſti carnem dandam in crucem pro ſalute noſtra, panem eſſe, id eſt cibum ſpiritualem, quo per fidem ſubſtentamur, isq; cibus nobis in communione verbo dei & ſymbolis offertur. Vnde ſi intellexiſſet in Iohanne panem ſymbolicum, cum tunc non daret illum, dixiſſet: Panis quẽ ego dabo caro mea erit, ſed dicit (eſt) in præſenti, ac ſi dicat: mea caro eſt panis metaphoricè, quam meã carnem dabo ſcilicet in crucem, pro mundi vita, CHE. Chriſtus in 6. cap. Iohan. dixit, Panis quem ego dabo, caro mea eſt, ſed

dabat

dabat eam carnem in cœna, quæ pependit in cruce, igitur ex scripturis, in cœna dedit realiter carnem suam, nã quod promiserat tũc, in cœna præstitit, dando corpus quod erat pro mũdi vita daturus. Symbola itaq; in cœna fuisse adiecta concedimus, sed substantiã illorum symbolorum dicimus esse carnem Christi, propter inducta verba, Panis quem ego dabo, caro mea est. Vnde patet hic transubstantiationem esse. MARTYR. Quod in cœna dederit verum corpus suum, semper sum attestatus, verum illi adiecit symbola panis & vini, vt iam dixi, & tu modo vt audiui, fateris: sed in tuo argumento incidis in æquiuocationem, quia transis à pane metaphorico, ad panem verum & naturalem. Quod enim dicit Christus, Panis quem ego dabo, &c. Per panem non significat symbolum, hoc est naturalem panem dandum in cœna, sed exprimit metaphoricum epithetum carnis suæ, quod nimirum esset nobis pro pane, vel instar panis, cuius proprietatis vt admoneamur, & intelligamus carnem Christi panem esse allegorice,

In 6. cap. Ioan. per panẽ dominũ symbolum sacramenti non intelexit sed carnem suam.

voluit in cœna tradere naturalem panem, dicens, Hoc est corpus meum, id est, meũ corpus pro vobis tradendum, si fide et spiritualiter à vobis manducetur, est pro pane, vel instar panis ad vos nutriendos & substentandos. CHEAD. Eodem modo loquor de pane, quo accipitur in euangelio. Vt quinta species distincta sit à quarta, quæ est, Ego sum panis viuus. Vnde quinta species nõ erit allegoricus panis, sed is de quo dominus dixit, Panis quẽ ego dabo, caro mea est. Alius igitur panis non erit, nisi caro mea, licet sub alia forma, ne confundamini, hoc autem dixit vt præmuniret eos ne litigarent apostoli de corpore comedẽdo. CHRISTVS alioquin promisisset, quod non præstiterit: Et idcirco, dabo inquit. Nondum enim venerat tempus: neq; est quod dicas corpus, vel carnem Christi futuram instar panis, non enim promissio à Christo, facta sic habet, sed simpliciter continet panem dandum, esse carnẽ. Hoc idem confirmat Cyrill. cum inquit, Ne dubites an hoc verum sit, eo manifeste dicente, Hoc est Corpus meũ, &c. sed suscipe verba

Vt carnis sue admoneremur quæ vere est panis noster spiritualis & dicitur, dedit in coena panem naturalem.

verba salutis in fide, tametsi sensus non doceat. MART. Argumentatio prolixa est, cui vt satisfiat, eam ad duo capita redigo, videlicet ad sermonem Christi, qui habetur Iohannis sexto, et ad Cyrilli sententiam. Quo ad sextum cap. Euangelistæ, plura genera panis ibi tractari nō diffiteor: quod tamen abste bene distinguantur, minimè concedo, & non multum curo. Egisse tamen Christum de sui manducatione, & promisisse daturū seipsum ad manducandum admitto. Panem enim ait se daturum, quem sit caro sua quæ danda erat pro mundi vita. Tu dicis, quis est iste panis? Christus respondet, Caro mea. & addit, Dabo eam pro mundi vita, et sic data, est panis vester, si eam fide perceperitis. Dicebat ergo se daturum carnem suam in crucem, & ad manducandum, eamq; panem appellauit metaphoricè. Atq; hoc pacto Iudæos litigantes, docuit spiritualem sensum. Quod vt clarius faceret subiecit: Verba quæ ego loquor, spiritus & vita sunt, vt intelligerent, manducationem non fore carnalem, sed spiritualem per fidem. Cui postea

in cœna postrema symbola, contunxit quorum nunc non meminit: sed quod panem nominat, ad carnem suam refert, quæ, dum cõmunicamus, spiritualiter à nobis manducatur, quod præcipuum haberi debet in perceptione sacramenti. Atq; id Iohan. intelligẽs, in euangelio suo institutionis sacramenti, cũ describit postremam cœnam, non meminit, quia hic de ea satis abũde loquut⁹ erat. Idcir co præstitisse cõcedo in instituendo sacramẽto, quod antea in 6. cap. dixerat, quia dedit carnem suam ad manducandum, sed cũ symbolis. Et quod obijcis, Christum non dixisse instar panis futurã carnem suam, nihil est, quia in tropis huius generis, non semper exprimitur nota similitudinis: In scripturis enim Christ⁹ dicitur agnus, nõ instar agni. & deus appellatur ignis, nec̃ additur sicut ignis. Quod vero futuro tempore dicitur, dabo, ideo est, quia caro quã comedimus in sacramento, est prout passa & crucifixa fuit, quæ nõ adhuc euenerant, cum ista loqueretur Christus, sed futura erãt: nobis tamen dũ cõmunicamus, semper esse debent ob oculos.

Et

Et quod attinet ad Cyrilli ſententiam: Reſpõ deo me nil dubitare, quin ille panis qui nobis traditur in hoc ſacramento, ſit corpus Chriſti, ſed eo modo quẽ docet ſcriptura. CHE. *In cœna ſtetit promiſſis, ergo quod tũ dedit, caro erat pro mundi vita tradenda, illa inquam quæ pependit in cruce, & hoc atteſtatur, Cyrillus, vt dixi.* MAR. *Stetit Chriſtus promiſſis, vt dicis, et dedit carnẽ ſuam, quæ apud Iohã. appellatur panis metaphoricè: at dãdo corpus ſuũ et carnem ſuam, quæ tradenda erant in crucẽ, vt ſpiritualiter mãducaretur, vna etiam panem verum & naturalẽ dedit. Neq; aliud præterea vult Cyrilli ſententia.* CHE. *Ergo hoc dabis tandem, fuiſſe verum corpus & veram carnẽ, quod dabat in cœna, ſed ſimul cum pane.* MAR. *Verum fuit corpus & vera caro, ſed dabatur ſignificatione.* CHE. *Dedit carnẽ quæ pependit in cruce, & id corpus quod crucifigebatur, ſed nõ ſpiritualiter, pependit in cruce, nec panis naturalis crucifigebatur: igitur ille panis apud Iohan. nõ accipitur metaphoricè, ſed realis Chriſti caro eſt intelligenda.*

Semp iſte verſatur i æquiuocatione.

MAR. Tu inuoluis multa, quæ à me ſunt euoluenda, vt negem falſa, & concedã quæ ſunt vera. Dixi iam, & nunc repeto, æquiuocationẽ te admittere, quia pro pane metaphorico tu mihi ſemper apponis panem datũ à Chriſto in cœna, qui verus & naturalis fuit, & huius allegorici, id eſt, carnis Chriſti ſignum. Nunquã verò tibi conceſſi, neq; concedam, Chriſtũ in Iohan. promiſiſſe panem ſymbolicum, ſed eum, qui metaphoricè ſumptus idem eſt cum carne. Et in cœna poſtrema iſtum allegoricum panem, id eſt carnem ſuam, dedit ad manducandum ſpiritualiter, & non ſolùm ſtetit promiſſis, ſed plus dedit quam promiſerat, addendo ſymbola. Et quod ſumis in argumento, corpus Chriſti non pependiſſe in cruce ſpiritualiter, & panem naturalem non fuiſſe crucifixum, aut pro nobis traditum, nihil habet momenti. Quandoquidem verba Chriſti ſatis atteſtantur corpus eius aliter à nobis manducari, et aliter fuiſſe crucifixum, quia manducationẽ iſtã ſpiritualem eſſe voluit Dominus, quando à carnali reuocauit Capernaitas. Pendere verò

Declaratur quæ fuerit promiſsio Chriſti in 6. cap. Io.

verò in cruce, & mori, actiones fuerunt naturales, vnde in argumento peccas progrediendo à substantia ad qualitatem, & à re, ad modum. Vnde corpus manducari à communicantibus damus, non autem eo modo quo pependit aut crucifixum est. Et miror te hoc obijcere, qui non dares ita Christũ fuisse crucifixum, vt illum ponis operiri tuis spheciebus. CHEAD. Dominus promisit se daturum panem, qui esset caro sua, quæ tradenda erat pro mũdi vita. Sed hunc panem, quemadmodum dominus Doctor fatetur, non dedit nisi in cœna, ergo in cœna dedit ueram carnem tradendam pro mundi vita. Et hæc propositio, panis est corpus Christi, est impossibilis, nisi accipiamus per figuram et significationem, ergo oportuit esse transubstantiationem ad hoc vt daret verum corpus suum. MART. Dedisse Dominum in cœna, quod promiserat concessi, non tamen dedi quòd non nisi in cœna id præstiterit dominus. Nam quotiescunq; credimus Christũ vere crucifixum pro nobis, carnem eius mãducamus, quæ dicitur panis metaphoricè.

Dominus se mandu cãdum & in coena & extra coenam prebet credẽtib.

Cæterum quod in cœna hoc maximè præstiterit, fateor, neq; tu debes accipere me dixisse, quod ibi solùm fiat. Sed quid est hoc argumenti: Christus secum cœnãtibus dedit carnem suam, & illa dicta est panis metaphoricè apud Iohannẽ, eo quod nobis sit instar panis. Igitur non dedit etiam panem, verum et naturalem? Ista non pugnant inter se, imò optime consentiunt, & vtrumq; simulueru̇ est. Neq; impossibilis est propositio, quod panis sit corpus Christi, quia per significationem accipitur: Et Augustinus testatur, Sacramenta habere nomina rerum, & corpus illud quod nobis per significationem offertur, verum est, & non confictum. CHEAD. Illud quod promisit, & datum est in cœna, erat vera caro Christi, ergo dedit verã carnem, nõ panem. Et caro data pro mundi vita, non erat spiritualiter vera caro, sed carnaliter vera caro, et nullo modo panis naturalis, ergo euincitur transubstantiatio. MAR. Dedit carnem, quẽadmodum promisit, veram, sed spiritualiter mãducandã, & vnâ etiam dedit symbolum. Quoties tibi dicam?

Nõ est impossibilis hæc propositio, panis est corpus Christi.

dicã? dedit vtrumq; : Quæ eſt iſta cõſequutio ? Dedit hoc, igitur cũ hoc non dedit etiã illud ? Et carnem Chriſti non dico eſſe ſpiritualiter carnem, ſed veram: ſpiritualiter autem applico ad noſtram manducationem et noſtrum percipiendi modum. CHE. Hoc igitur concedes Chriſtum dediſſe veram carnem in cœna. MARTYR. Dedit veram carnem fide percipiendam, & ſpiritualiter manducandam, ſed vna cum ea, dedit etiam ſymbola.

HIC DOMINI VISITAtores Regij dixerunt, diſſolutionẽ argumenti ſatis intelligi, quam ego adferrem, & ideo illum debere ultra progredi.

CHE AD. Dabis ne fidem vni aut alteri teſti meæ ſententiæ ? MAR. Poſſent eſſe huiuſmodi, quibus fides non ſit adhibenda. Quid veteris iſta præfattione ? Nominato eos, & ſi fide digni fuerint fidem eis habebo. CHE AD Z. Ambroſius

transubstantiationem ponit, in libro de ijs, qui initiantur mysterijs, cap. 9. & vlt. Vbi in priore parte capitis habet, nõ esse panem quem natura formauit, sed quem benedictio cõsecrauit. Et hic respondere non potes, quo ad vsum factam esse mutationem, quia postea subdit, naturam mutatam. Et exemplo docet, quia virga quam tenebat Moses, natura versa est in serpentem, non secundum vsum. verba eius hæc sunt. Probemus non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremq; vim esse benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur. Virgam tenebat Moses, proiecit eam, et facta est serpens, rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam reuertitur. Vides igitur, prophetica gratia, bis mutatam esse naturam, & serpentis & virgæ? Currebãt Aegyptiflumina puro aquarum meatu, subito de fontiũ venis sanguis cœpit erumpere. Non erat potius in fluuijs, rursus ad prophetæ preces, cruor cessauit fluminum. Hic vides Ambrosium testari mutationem naturæ, id est transubstan-

ſubſtantiationem. MART. Bene habet, Agnoſco verba Ambroſij, ſed perge vlterius. CHEAD. Circũcluſus vndiq; erat populus Hebræorum, hinc Aegyptijs vallatus, inde mari clauſus, virgã leuauit Moſes, ſeparauit ſe aqua, & in murorum ſpeciẽ cõgelauit, atq; inter vndas, via pedeſtris apparuit. Iordanis retrorſum conuerſus cõtra naturam, in ſui fontis reuertetur exordium. Nonne claret naturam vel maritimorũ fluctuum uel fluuialis curſus eſſe mutatam? Sitiebat populus patrum, tetigit Moſes petrã, & aqua de petra fluxit. Nunquid non præter naturam operata eſt gratia, vt aquã vomeret petra, quã non habebat natura? Marath fluuius amariſſimus erat, vt ſitiens populus bibere non poſſet, miſit Moſes lignum in aquam, & amaritudinem ſuam aquarũ natura depoſuit, quam ſubito gratia tẽperauit. Sub Eliſæo propheta, vni ex filijs prophetarum excuſſum eſt ferrum de ſecuri, & ſtatim merſum eſt. Rogauit Eliſæũ, qui amiſerat ferrum, miſit etiam Eliſæus lignum in aquam, & ferrum natauit, vtiq; & hoc

præter naturam factum esse cognoscimus. Grauior est enim ferri species, quam aquarum liquor. Aduertimus igitur maioris esse virtutis gratiam quàm naturam, & adhuc tamẽ propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quod si tantũ valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, vbi verba ipsa domini seruatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo vt species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quòd non erat, nõ potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus est nouas rebus dare quàm mutare naturas. Hinc etiam liquet Ambros. velle mutari naturas. MART. Perge legendo, quod si cunctaris, ego ipse legam. Vera vtiq; caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est, uerè ergo carnis illius sacramen-

Quia caro Christi est vera,

cramentum, Ipse clamat Dominus Iesus, Hoc est corpus meum. Ante benedictionem cœlestium verborum alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum, ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationẽ sanguis nuncupatur, et tu dicis. Amẽ. CHE. Legam vsque ad finem si volueris. MAR. Ad finem hoc habetur. Nec dicamus quomodo regenerati sumus, nunquid in ventrem matris nostræ iterati introiuimus & renati sumus? Non agnosco vsum naturæ, sed nullus hic naturæ ordo, vbi excellentia gratiæ. Deniq; non semper vsus naturæ regenerationem facit. Huc vsq; ille. Iam vides nos Ambrosium non contemnere, tametsi scio esse doctos viros, qui ista commẽtaria de sacramentis habeant suspecta, & putent non esse Ambrosij, quod tamen ego non curo, & facile illos admitto. Neque me latet Roffensem, vt ostẽderet hos libros vere Ambrosij esse, testimonium Augustini in præmio de Doctrina christiana cirasse, quod ibi dicat, Ambrosiũ scripsisse librũ de

ideo hoc est vere illius carnis sacramentum.

Corpus Christi significatur

Post consecrationem sanguis nuncupatur.

Aliqui habuerũt suspectos libros Ambros. de sacramentis. Roffensis.

ſacramentis. Si quis verò citatum locũ perlegat, nil tale inueniet. CHEAD. Habetur apud Auguſtinũ, in lib. 2. Retractationum, quando commemorat libros de doctrina Chriſtiana, ibi inquit Ambroſium ſcripſiſſe librum, ſiue de ſacramẽtis, ſiue de prophetia, et iſtud caput ſolet præfigi loco proœmij libris de doctrina Chriſtiana, ſed nunc Roffen. non ſuſcipio defendendum. MAR. Memini: & quidem ad hæc Auguſtinus cõtra Iulianum, Scripſiſſe ait Ambroſium de ſacramento vel de philoſophia, licet ex his quæ ibi dicuntur, non conſtat de his libris agi, quos modo excutimus. Cæterum vt iam dixeram, hic non contendemus, nam libros iſtos admitto Ambroſy, & reſpondeo eũ nihil aliud hic voluiſſe probare, quã mutationem panis vocatam à nobis ſacramentalem, neq; id velle vt natura panis in ea tollatur. Et hanc eſſe eius ſententiam ſatis liquet ex libro 4. de ſacramentis cap. 4. vbi ſcribit: Si ergo tanta vis in ſermone domini Ieſu, vt inciperent eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant,

Aug. contra Iulia.

Am. vult vt in ſacra mẽtoſym bola ſint quæ prius erant.

erant, et in aliud commutentur? Hic aperte duo ponit, primum, symbola manere quæ erant, quod intelligendum est, non vt vos asseritis de accidentibus, sed de substantia: nam relatiuum [quæ] illud nobis indicat. Alterum est, quod mutantur in aliud, quia expane communi fit sacramentum. Nec est mutatio ista vulgaris, sed quæ naturam superet. Et ad ea quæ dicit ab initio capitis, naturam mutari, respõdeo cõtra me non facere, quia talem mutationem concedo naturarum, vt suscipiant alias conditiones, et ascendant nouum gradum, sacramenta enim fiunt, quod antea non erant. Ad exempla verò quæ hic ponuntur ab Ambrosio, respondeo multiplicia esse, idcirco ad duo genera illa redigo. Nã quædam enumerat, vbi prorsus abycitur prior natura, vt cõtigit in virga Mosis, quã do conuersa est in serpentem, & in aquis Aegypti, cum mutarentur in cruorem. Et alia sunt, in quibus manente priori substantia, tantummodo accidentalis mutatio facta est. In quo genere sunt, diuisio maris rubri: Iordanis recessus. aquæ Marath sanatæ:

Exempla Amb. redigunturad duo capita.

Petra dans aquam, & ferrum natans. His itaq; similibus, hæc mutatio sacramentalis probari potest. Etenim si accipias illa, in quibus omnino sublata fuit natura, quæ prærat, argumentum habebis à maiori. Cum enim statuatur Deus tantam effecisse mutationem, vt prorsus naturas auferret et substantias quæ prius erant, aliasq; induceret: cur dubitandum erit, eum posse facere ex cõmuni pane & vino, efficacissimum sacramentum? Alijs vero similibus, in quibus prior substantia conseruatur, & nouæ qualitates atque conditiones inducuntur, aliter quàm natura patiatur vsitata cõsuetudine, probatur hæc eadem mutatio sacramẽtalis, ab æqualibus factis, & pari virtute. Non enim est ambigendum posse Deum, naturis panis & vini manentibus, tribuere sacramentalem vim, qui tam mirabiles affectus & qualitates rebus enumeratis impressit præter naturam. Et sunt non leuiter pertranseunda verba, quæ habet in isto capite cum ait: Vera vtiq; caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est, verè ergo carnis illius sacra-

Nota locum diligenter.

cramentum: nam inde patet eum constituere, Christum habuisse & veram carnem et verum corpus, quod & nos fatemur aduersus Martionem & Eutychen. Addidit postea, hoc esse verè sacramentũ illius carnis, quod nostræ sentẽtiæ admodum fauet. Nam dicimus eam hic & verè & efficaciter significari, & per communionẽ verè, sed spiritualiter à nobis sumi. Nec illa sunt prætereunda quæ paulopost scribit: Ante benedictionem verborum cœlestium, alia species nominatur, post consecrationẽ corpus Christi significatur. Quando à me dicitur corpus Christi in sacramẽto significari, videor vobis & aliena & absurda loqui, & nihilominus à patribus idem passim auditis. Itaq; dum quæris, quænã sit hæc mutatio, de qua Ambros. vel quisquis est tam prolixe scribit. Respondeo eam esse, qua panis & vinum ab ordine naturali & gradu prophano adstatum et ordinem sacramentalem transferuntur, opera cũ spiritus sancti, tum institutiõis Domini. Neq; dura est hæc loquutio si dicamꝰ naturã mutari, cũ adipiscitur varias

conditiones, siquidem ea est, quæ talem mutationẽ sustinet ac defert. Vrgebas & abinitio quod scripserat, Non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, quasi hæc verba nostræ sententiæ prorsus repugnẽt, quod reuera nõ est. Agit enim Ambros. de sacramento, atque de eo, vt ita dicam, formaliter loquitur. Et quis nostrum dubitet, conditionem sacramenti ex natura non prouenire sed per consecrationem inducit? Atq; id exprimere voluit, iam panem sanctum nõ habere à natura, quod sit sacramentum, sed per consecrationem id adeptum esse. CHEAD. Sed in Ambrosio hæc potissimum notaui. Primum quod inquit, Dicas aliud video, quomõ tu mihi asseris quod corpus Christi accipio? & nobis adhuc superest vt probemus. Deinde, Probemus non esse hoc quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremq; vim esse benedictionis quam naturæ, quia benedictione ipsa natura mutatur. Adhæc, ne dicas mutationẽ esse sacramentalem, vt panis fiat symbolum. Exempla quæ sequuntur docent substantiam

Natura non formatsacramentum sed diuina.

ſtantiam in aliam naturam conuerti: itaque Ambroſius dicit naturam mutari, tu negas.
MAR. Non nego, ſed affirmo ſacramentaliter mutari, & dico cum Ambroſio, ſacramentum non eſſe id quod videtur, ſi loquamur de eius potiori parte, quod enim ſignificatur, ut nō videtur, ita in primis quæritur à fidelibus, neq; eſt à natura in hoc ſacramento aut formarū aut affixum, ſed per benedictionem adnectitur. Neq; vult hic eſſe conuerſionem eiuſmodi quæ priſtinam naturam abyciat, de exemplis vero ab eo inductis iam ſatis eſt dictum. CHEAD. Ambroſ. inquit. Non eſſe hoc quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit.
MAR. Hoc antea declaraui, etenim ſacramentum res eſt cœleſtis, quod natura nō formauit, ſed per conſecrationem pani accedit, non ita vt ſuam abyciat ſubſtantiam. Neq; debet hoc alienum videri à ſenſu Ambroſij, qui vt citaui lib. 4. cap. 4. de ſacramentis ait: Quāto magis operatorius eſt ſermo Chriſti vt ſint quæ erant. Satis oſtendit hæc oratio eum non ſentire naturam ſymbolorū eſſe

abijciendam. CHE. Si sunt quæ erant, tũc nõ sunt sacramenta, quia prius sacramenta nõ fuerũt. Præterea idẽ Ambros. in loco quẽ induxi, De his qui mysterijs initiãtur asserit mutari spẽs elementorũ: nam scribit: Quod si tãtũ valuit sermo Heliæ, vt ignẽ de cœlo deponeret, nõ tantũ valebit sermo Christi, vt species mutet elemẽtorũ? MAR. Quod primũ obijcis. Si sunt, quæ erant, tunc sacramẽta non sunt. Negatur consequutio, optime enim conuenit vtrumq́: nã addit Ambros. Et in aliud cõmutentur, vt videas naturam panis manere & in sacramentũ mutari. Et quod inculcas, illum scribere species elementorũ mutari, distinguo: si per species accidẽtia intelligas, id est formã, figuram, saporẽ, atq; colorem panis et vini, non mutatur, vt sensus attestatur: sin vero per species, naturas intelligas & substantias symbolorum, illis accedere, vt sæpius dixi, spiritualem & cœlestem mutationẽ concedo. Nam dũ sacer iste ritus peragitur, in symbola per institutũ et verba domini, inducitur ratio sacramentalis, & relatio illa significandi tam corpus mysticum

Duo vult & esse quę erant & mutari in aliud scilicet in sacramenta Distinct. de specie ciebus.

Relatio sacramẽti nõ fundatur i accidẽtibus, sed respi-

mysticum quam ipsum Christi corpus, non in accidentibus panis et vini, sed in ipsis eorum naturis fundatur accessu spiritus sancti, qui illis vt instrumentis vtitur. CHE. cit naturã & substãtiã panis.

Mutatur ne panis secundum substantiam, an secundum accidens? MAR. Quoniam ambiguitas et æquiuocatio hic incidit, vtar distinctione. Si mutationem intelligas secundum substantiam, ita vt substantia ipsa uel pereat uel conuertatur in alteram, non assentior tali mutationi: sin vero intelligas mutari substantiam sic, vt suscipiat aliam qualitatem atq; conditionem quam prius habuerat, concedo eam mutari. CHE AD. Tu de accidentali mutatione loqueris, quæ fiat secundum nouum gradum & conditionem, quod est in sacramentum mutari, & accidẽtaliter. Ambros. vero agit, de mutatiõe elementi & naturæ. Interrogo igitur te: Quid est quod post cõsecrationẽ mutatur? MAR: Ab Ambrosio non recedo, sed cum illo assero hic fieri mutationem elementi et naturæ, modo iam expositio. Et cum interrogas, quid mutetur post consecrationem: Respondeo Mutari secundũ naturam dupliciter. Quid sit illud quod mutetur in sacramento.

mutationem de qua nunc agimus, in illis rebus esse suam, quæ iam per consecrationem qualitatem aliam sustinent, & maiorem dignitatem consequuta sunt, videlicet statum sacramentalem, quem antea non habuerãt. Et quamuis talem mutationem studeatis eleuare, non tamen parua est, aut contemnenda, cum sancti spiritus & vis & opus accedat. CHEAD. Tu adhuc respondes mihi de accidentali mutatione, sed quæ est mutatio in elemento? MART. Magna quidem est, qua elementum fit sacramentum, ita vt illud elementum per hanc mutationem iam alia res dicatur, quã antea fuerat. Et ne hæreas quid intelligam per elementa, dico per ea nil aliud significari quam symbola, quẽad modum veterum ceremoniæ & sacrificia dicuntur elementa apud Paulum: & horũ elementorum, id est, symbolorum substãtia, est quæ fert & sustinet hanc mutationem, quæ per consecrationẽ inducitur. Iamq; sum fessus idem sæpius & respondendo et declarando. Cum ego ex nigro efficior albus, non est opus, vt mea substantia vel natura esse desinat,

desinat, ita de pane existimes, quando fit sacramentum. CHEAD. Conditio quæ accedit. non mutat naturam, & Ambros. dicit eam mutari. Idemq; lib. 4. cap. de sacrament. 4. Ergo author sacramentorum, quis est, nisi dominus Iesus? De cœlo ista sacramenta venerunt, consilium enim omne de cœlo est. Vere autem magnum est & diuinũ miraculum, quod populo deus pluit Manna de cœlo, & non laborabat populus, & mã ducabat. Tu forte dicis, meus panis est vsitatus, sed panis iste, panis est ante verba sacramentorum, vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus: Quomõ potest qui panis est, corpus esse Christi consecratione? Deinde: Ergo tibi vt respondeam. Non erat corpus Christi ante cõsecrationem, dico tibi quod iam est corpus Christi, Ipse dixit & factum est, ipse mandauit, & creatum est. MAR. Addas ea quæ interposita sunt: Quanto magis operatorius est vt sint quæ erant, & in aliud cõmutentur. CHEAD. Nihil cõtra me hæc faciunt. Sint quæ erant id est appareant, nã

Nota panem esse corpus Christi quod isti negant.

eandem, formam figurã et proprietates retinent. Sensus etiam Ambrosy sic explicatur: Si deus potuit ex nihilo omnia facere, quanto magis ex alio aliud? Si ex eo quod nõ est, potuit aliquid facere, multo magis id potuit ex eo quod est. Ideo dicit, vt sint quæ erant, quia prius erãt entia, et existebant, nõ quod postea persistant eadem secundum substantiam, sed vt sint quæ erant, quantum ad entitatẽ, & in aliud mutentur quantũ ad substantiam. Vult itaq; in summa, ex vna natura fieri aliam, & hoc est in aliud cõmutari. Et ex his quæ sunt ad finem capitis quando dicit: Ergo didicisti quod ex pane corpus fiat Christi, & quod vinũ & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis, patet transubstantiatio, & quod ex pane fiat corpus Christi & ex vino sanguis. MAR. Primũ ad ea respondebo, quæ ipse citas ex hoc capite: deinde addam quæ in eo abs te omittuntur, & meam sententiam confirmant. In primis, Dominum authorem esse sacramentorũ confiteor: deinde assentior panem ante verba sacramentorum, panem vsita-

vſitatum eſſe, vbi vero acceſſerit conſecratio, corpus Chriſti eſſe, nimirum ſacramentaliter. Hæc ego neq; nunc nego, neq; vnquã negaui. Sed tu mihi viciſſim conſidera, eum ſubijcere, hoc igitur aſtruamus, Quomodo poteſt qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti conſecratione. Vbi tu vides eum duo pronunciare de ſymbolo, & quòd panis eſt, et Corpus Chriſti ſimul. Et ait laborandũ eſſe, vt hoc declaretur, aitq; conſecratione fieri. Quis autem dubitat, conſecrationem ſacramentalẽ rem eſſe: Ex quo patet ſymbolum, quo ad naturam, manere panem, conſecratione vero, eſſe corpus Chriſti ſacramẽtaliter? Et Ambroſ. ſeipſum interpretatur, quando ait, Vt ſint quæ erant, quod iſte exponit, & interpretatur. Vt ſint, id eſt appareant. Cum tamen Ambroſius habeat [ſint] quæ vox non apparentiam, ſed rei veritatem ſpectat. Et quis non videat, quando commodum vobis eſt, admodũ arridere tropos, ita vt, quantumuis duriſſimis abutamini, cum viſum fuerit. Superius in euangeliſta particulam, Quod, ſubſtantiam referre volebas, in

Symbolũ duoſimul eſt & panis & corpus Chriſti.

Auguſt. qualitatẽ, hic in Ambroſio interpretaris [*ſint*] *id eſt appareant. Itaq; Ambroſ. vbi dixit ea manere, adiecit, In aliud mutari, hoc eſt ſacramenta fieri. Quæ verba teſtantur me huius patris genuinum ſenſum protuliſſe. Vt vero ſophiſtica ſit altera interpretatio, qua dicis, ſint quæ erant, id eſt prius exiſtebant, & erant entia, quaſi dicatur, ſint quæ erant, quo ad entitatem, mutentur in aliud quo ad naturam, omnes intelligunt, videntq; alieniſſimũ ſenſum eſſe: quod vt magis perſpicuum ſit, nõ grauabor ſubijcere denuo Ambroſij verba: Quanto magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant et in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat, ſed audi dicentem, Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt: ergo vt tibi reſpondeam, non erat corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationẽ eſt corpus Chriſti. Ipſe dixit, & factum eſt, ipſe mandauit, & creatum eſt. Tu ipſe eras, ſed eras vetus creatura, poſteaquam conſecratus es &c. noua creatura eſſe cœpiſti. Iam audis quo ſimili declaret*

Similitudo de mutatione noſtri

natura

natura panis mutationem, illo scilicet quo non abijcitur, sed mutatur conditio. Nam in his verbis duplicem rationē protulit ad probandam sacramentalem mutationem: Prima fuit, à iussu domini, quia ipse dixit: Altera est à mutatione, quæ fit in nobis, cum regeneramur, sed nos ibi non amittimus nostrā naturam. Non itaq; in pane id ponendū erit, vt substantiam suā relinquat, alioquin argumentum à minore ad maius affirmatiue non tenet, vt scilicet ex minore mutatione velimus probare maiorem. Proinde cum Ambrosius has duas inter se conferat, vult æquales esse. Verum pergamus ad ea quæ habentur ad finem, vbi legis: Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinē pretiosi sanguinis bibis. Quid his verbis apertius dici potuit, ad demonstrandam conditionem vel qualitatem sacramentalē, quæ in similitudine et significatione sita est?

Duplex probatio mutationis sacramentalis.

CHEAD. Ambrosius cum dixisset: Hoc non esse quod natura formauit, sed benedictio consecrauit, statim vt genus mutationis declararet, subdit exempla virgæ, &

aquæ mutatæ in sanguinem, vbi natura pristina est abiecta, & exempla quæ mutationem tantum qualitatum & proprietatum indicant, remotius posuit: Quare igitur debemus mutationem panis et vini, magis referre ad mutationem proprietatis & conditionis, cum alterum genus mutationis priori loco ponatur? Et potissimũ cum addat Ambrosius, Operatorium esse Christi sermonẽ, & dicit, quod efficiuntur aliud. Quodq; adducis de nostri mutatione, cum efficimur noua creatura, dico ibi opus esse gratia, & est spiritualis mutatio. Hic vero Ambrosius agit de mutatione elementali. legito eundem cap. 5. eiusdem libri, & primo cap. sexti libri de sacramentis. MAR. Cur Ambrosius priori loco ponat mutationem, qua substantia prior abijcitur, in promptu ratio est, quia ea mutatio est maior altera, ideo prius collocatur. deinde, cum dupliciter argumentetur partim à maiori, partim à simili uel ab æquali, argumentationẽ incipit quemadmodum par est, à maiori. Quodq; secundum genus mutationis ad rem faciat, inde liquet, quod

quod in quarto de ſacramentis, vbi ſtatuit idem probare ſed breuius, tantum ea recitat exempla, quæ mutationem proprietatũ indi can, t & primũ genus tacet, vbi natura abij citur. Operatorium vero eſſe Chriſti ſermonem libenter concedo nam eo ſymbola, quorum natura manet, aliud efficiuntur, nimirum ſacramenta. Et quod aiis noſtram mutationem per gratiam fieri & ſpiritualem eſſe, annuo. ſed quod Ambroſ. de ea non loquatur, nego, neque obſtat quod eam vocet mutationem elementorum, vt ſuperius declaraui. Elementum enim eſt pars ſacramenti quæ ſentitur, caq; vere dicitur mutari, quod aliud munus habeat & præſtet quam prius. Et quæ innuis de 5. cap. primi, & de primo, ſexti, ſi obiecerus, reſpondebimus. ſatis nunc oſtenſum eſt, ex eo quod citaſti, nihil contra nos, ſed potius omnia pro nobis facere. CHE. Rogo per voſipſos legatis domi hæc capita & videbitis non poſſe accipi, niſi de trãſubſtantiatione.

Perſpicua declaratio ſermonum Ambroſij.

HIC VISITATORES IVS ferunt, ut ad ſecunda pergeretur.

CHE AD. *Verũ et reale corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia, ſic doceo. Chryſoſto. Hom. 17. ad Heb. Nonne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationẽ facientes mortis eius, & vna eſt hoſtia non multæ. Quomodo vna eſt & non multæ? & quia ſemel oblata eſt illa, oblata eſt in ſancta ſanctorum, hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius. Idipſum ſemper offerimus, nec nũc quidem alium agnũ, craſtina alium, ſed ſemper id ipſum, proinde vnum eſt hoc ſacrificium, alioquin hac ratione, quoniã in multis locis offertur, multi Chriſti ſunt. Nequaquã. Sed vnus vbiq; eſt Chriſtus, & hic plenus exiſtens, & illic plenus vnum corpus &c. Ex ijs ita diſputo. Eadem eſt oblatio noſtra cum illa quam obtulit Chriſtus, Sed Chriſtus obtulit verũ & reale corpus, ergo nos idem offerimus.*

Idem corpus Chriſti ſumitur in coena quod pependit in cruce ſed diuerſimode.

MAR. Illud idem corpus nos habere in cœna domini, quod Chriſtus obtulit in cruce,

quoad

quoad ſubſtantiam & veritatem naturæ, fateor, ſed non eodem modo, quia ſpiritualiter, id eſt per fidem ipſi percipimus, Id vero ſubſtantiali & corporali præſentia pependit in cruce. Et hæc duo quæ aſſero, ex Chryſoſt. potes colligere: Idem dicit eſſe quod offerimus, quo ſcilicet ad rem & corpus Chriſti, ſed addit ſemper, recordationem, exemplar, & commemorationem, quæ modum oſtendunt diuerſum. Et hanc meam ſententiam euidenter oſtendo ex Bernhardi verbis. in Serm. 33. ſuper cantica cantic. At quantalibet ſane abundantia pingueſcant iſta, non pari omnino iucunditate ſumitur cortex ſacramenti, & adeps frumenti, fides & ſpecies, memoria & præſentia, æternitas & tempus, vultus & ſpeculum. &c. Vbi vides illum antitheſim ponere inter memoriam & præſentiam. Itaq; cum Chryſoſtomo id ipſum nos habere corpus quod in cruce fuit oblatum, fatemur: ſed quia memoriam & recordationem ſemper interponit, oſtendit non eſſe modum recipiendi per præſentiam corporalem, ſed per præſentiã fidei,

Bernhardus.

Antitheſis inter memoriã & præſentiam.

quæ potest res absentes, spiritualiter præsentes facere, vt Paulus ad Gal. Inquit: Christum in eis fuisse crucifixum, & Abraham vidisse diē Domini ac gauisum esse. Et Deus iam fecit nos considere ad dexteram in cœlestibus. quomodo hoc? carnali præsentia? minime, sed fide, quæ rei veritatem non excludit. Et breuiter, quod attinet ad argumentum, idem habemus, sed non eodem modo, id est eodem genere præsentiæ. Vnde non sequitur, Christ⁹ realiter et corporaliter se ipsum dedit in crucem, ergo nos ita eum habemus in cōmunione. CHE. Idipsum inquit Chrysost. offerimus quod ille obtulit, licet alio modo ibi sit & sub alia forma, non etenim aliū nunc, aut alium agnum crastina (eodem teste) offerimus, sed semper idipsum, alioquin inconfessio est, Christum obtuliſſe se in precium, & nos in mysterium & recordationem. MART. Communicantes eundem ipsum Christum, & plenum, id est, neutra eius natura truncata vel imminuta, fide percipiūt, quia fides ipsum, neq; corrumpit, neque vitiat, neque imminuit, imò sinit eum esse

Fides rei ueritatē nō exclu dit.

Fides percipiendo Christum nō ipsum vitiat non corrumpit neque imminuit

esse vti est & suo loco manere, et tamen spiritualiter ipsum eundem & plenum & integrum complectitur. CHE. In sacramento, est ne corpus Christi an non? MAR. Non nego in sacramento verũ corpus Christi esse sacramentaliter, id est, per efficacem significationem, & nobis vere exhiberi, & accipi a fideliter affirmo, verum animo et fide, hoc est, spiritualiter, siue sacramentaliter, id est, vere adesse fidei nostræ. Differentia est inter nos quo ad modum præsentiæ, vos imaginamini & fingitis vobis latitationem Christi quandam in illo pane, siue speciebus panis, quam ego pernego. Nobis vero adesse exposito modo fateor, atque etiam docui quo pacto in sacramento esse concedi possit. CHE. Est illud ipsum inquit Chrysostomus. MAR. Asserit illud ipsum esse, verũ addit: In memoriã & recordationẽ, quæ ad animũ & fidem spectant, nõ ad corporalem præsentiã. CHE. Verũ ne corpus est et carnale, quod est in sacramento, an spirituale? MAR. Verũ esse iam concessi, nõ tamẽ (vt ita dicam) per præsentiam realẽ: Idem

eſt corpus, vt expoſui, quo ad naturam, ſed illud ita mente accipimus & fide, vt manu & ore ſymbolum ipſius capimus. CHE. *Eſt illud ipſum inquit Chryſoſt.* MART. *Ambo coniungenda ſunt quæ dicit, tã quod eſt (illud ipſum) quàm quod addit, per cõmemorationem.* CHEADZEVS. *Si quando ſumimus in ſacramentum, datur illud idem quod Chriſtus obtulit, ſequitur ibi realiter & ſubſtantialiter eſſe Chriſtum in ſacramento.* MARTYR. *Nego argumentum, tranſis enim à ſubſtantia ad accidens et Quid facis, Quale. Illud ipſum corpus eſſe, quo ad naturam, ferè centies conceſſi: at non ſequitur quo ad modum præſentiæ corporalis, uel ibi eſſe, vel à nobis accipi.* CHEADZEVS. *Eſt ne ibi?* MARTYR. *Eſt, ſed ſacramentaliter & per ſignificationem, vti eſt ſenſus in ſermone vel in ſcriptis, quod ſcilicet per iſta ſignificetur, non autem ſub eis latitet.* CHE. *Eſt ne verum corpus?* MAR. *Quoties tibi dicam? Verum eſt corpus, cæterum ibi non eſt niſi per ſacramentalem ſignificationem.*

CHE.

CHE. Rogo quæ sit substantia illius hostiæ, quæ per singulos dies offertur. tu dicis, si animo et fide offeram, esse verum corpus Christi, Chrysostomus non fidem meam, sed substantiam hostiæ considerans non aliud inquit, sed id ipsum offerimus. Quare liquet nos nihil effingere quod Chrysostomus non habeat. MAR. Substantia hostiæ nostræ est gratiarum actio de corpore Christi tradito in crucem. Et hac gratiarum actione, fide, atq; confessione, dixerunt patres in cœna offeri corpꝰ Christi. Vnde quod attinet ad substantiam, hoc corpus de quo gratias agimus, non differt ab eo quod crucifigebatur, sed ad hoc vt ita offeratur à nobis, non requiritur, vt præsens sit corporaliter, neq; vt manibus communicantium substantialiter teneatur.

Quæ sit oblatio nostra corporis Christi.

CHE. Chrysost. super Ioan. homil. 45. Parentes sæpenumero liberos suos alijs alendos dederunt, egò autem mea carne alo, me his exhibeo, omnibus faueo, omnibus optimam de futuris spem præbeo: Qui in hac vita ita se nobis exhibet, multo magis in futura. Vester ego frater esse volui, et cõmunicaui car-

Alius locus Chrysosto. super Iohãnem.

nem propter vos & sanguinem, & per quæ vobis coniunctus sum, ea rursus, vobis exhibui. Hic Chrysostomus ostendit nos nutriri vera carne Christi. Qui nutritur vberibus matris, nutritur carne matris suæ, & Christus ait, similiter se nutrire nos carne sua, igitur non hoc agit per significationem. nã hoc non esset carne sua nos nutrire, sed aliena. Quare sequitur oportere carnem Christi reipsa præsentem esse. MAR. Christum se nobis dare, nosq; alere & nutrire sua carne, cõcedo. Quod vero subdis, nos ali non posse, nisi eius caro adsit corporaliter, nego, cum ista alimonia & manducatio fide peragatur. CHE. Sed dicit, Cum dederit nũc seipsum, multo magis daturum se in futurum: ergo idem est qui nunc datur, & qui in futurum est dandus. MAR. Idem profecto est, sed hic tantum per fidem accipitur, vtq; apprehendatur efficacius, signa et sacramenta nobis dantur CHEAD. Ergo, illi qui sunt absque fide, corpus Christi non accipient? MAR. Non accipient, carent quippe instrumento, quo percipitur corpus Christi, vt

Mali non percipiũt corpus Christi.

superius

superius ostendi. CHEA. Est ne ibi, etiam si ab illis non accipiatur? MAR. Est per significationem sacramentalem in symbolis, quia nobis significant, repræsentant & exhibent corpus et sanguinem Christi: non autem transubstantiata sunt, aut in eis latitat substantialiter & realiter, seu corporaliter & carnaliter, ad quod asserendum videris velle me adigere tot tuis superfluis interrogationibus. Et cum asserο sacramentalem significationem, debes intelligere eam, quo ad credentes esse efficacem, vt communicantes iuuet, & excitet ad Christum fide complectendum, quod in his qui fide sunt destituti, locum habere non potest. Ostendi enim supra, cum aduersus te agerem, infideles non posse percipere corpus Christi. CHEADZEVS. Quid igitur est sacramentum? MARTYR. Est (vt definiunt Theologi, & ex Augustino habetur) sacrae rei signum, aut visibile signum inuisibilis gratiæ. Et sacramentis vtitur spiritus sanctus, ad exhibendum nobis Christum spiritualiter, animo & fide comprehendendũ. Quid sit sacramentum. Simile.

Veluti dicimur per verba dei salutem suscipere, nō quod salus in illis verbis lateat, aut sit realis præsentia, sed continetur per significationem. Et ista collatio sermonū diuinorum ad sacramenta, admodum congruit, nā ex Augustini sententia, sacramēta sunt verba visibilia. Ex hac itaq; responsione habes quid intelligam per sacramentum. CHE. *Ita res quælibet, signum esse potcrit corporis Christi.* MAR. *Quia non omnia dominus ad hoc instituit, neq; omnia verbum dei habent, quod in sacramētis est pars potissima, ideo non omnia dici possunt signa corporis Christi, vt modo nos accipimus vera & efficacia sacramenta.* CHE. *Augustinus de Trinit. lib. 3. cap. 4. in mea est sententia. Nam cum loquitur de Eucharistia inquit: Non sanctificatur, vt sit tam magnum sacramentum, nisi operante inuisibiliter spiritu dei. Ecce hic habes spiritum sanctum, et opus Dei requiri ad efficiendum sacramentum. Sed ad hoc vt tantum significatio induatur, non opus esset tot rebus.* MART. *Miror te illum locum Augustini citare, cū ibi*

Quodlibet no potest esse signū corporis Christi vt sit eius sacramētū.

Locus Augustini de trinitate.

ibi potißimum contrate faciat. Videamus quænam illic habeantur. Apoſtolus Paulus potuit ſignificando prædicare dominum noſtrum Ieſum, aliter per linguam ſuam, aliter per epiſtolam, aliter per ſacramentum corporis & ſanguinis eius. Hic audis dominum Ieſum Chriſtum, per ſacramentum corporis & ſanguinis eius, ſignificari, quod nunc oppugnare niteris. Sed pergamus: Nec linguã quippe eius, nec membranas, nec atramentum, nec ſignificantes ſonos linguæ & ditos, nec ſigna literarum conſcripta pelliculis, corpus Chriſti & ſanguinem dicimus, ſed illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptum & prece myſtica conſecratũ rite ſumimus. Dominus Ieſus per ſacramentum corporis & ſanguinis eius ſignificatur.

Hic quoq; audis corpus Domini appellari, id quod acceptum eſt ex frugibus terræ. Vnde ſequitur ibi manere panem, niſi velis dicere terram fructificare accidentia. Et quod obijcis, neceſſariam eſſe operam Dei & ſpiritum ſanctum, ad hoc vt ſacramentũ fiat, aſſentior: ſed ſignificationem corporis Chriſti rem non eſſe tantam, vt his opus habeat, nego. Iam ſæpius audiuiſti, nos hic non pone- Quod acceptũ eſt ex frugibus terræ corpus Chriſti dicitur.

re vulgarem & quamuis significationem, sed sacramentalem, potentem et efficacem, qua credẽtes Christo incorporãtur. CHE. Cæterum panis per substantiam suam alit, ideo corpus Christi significare potest ante cõsecrationem, & ante eandem collectus est, & constat ex multis granis, ideo significare potest vnionem ecclesiæ. Sed tamen sentẽtia Augustini non est, propter significationẽ aliquid dici corpus & sanguinem Christi, sed illud tantum quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum, sumimus ad salutem. Neq; vult panem acceptum è frugibus terræ ita manere, sed vt dicit Ambrosius quod natura fecit, benedictione mutatur. MAR. Quoad primũ, non aliter sane possis de aqua dicere, quod vbicunq; sit, etiam extra baptismum, significet ablutionem animi: num propterea sequitur, sacramentalem esse eam significationem, cũ verbum domini absit, nec institutum Christi in ea exerceatur? Loquimur hic nos, vt iam sæpe diximus, de potenti & efficaci significatione sacramẽtorũ, quam adipiscũtur

ex

ex verbo & instituto Dei. Quoad alterum, apertissime dixit Augustinus per illa tria, scilicet linguã, mẽbranas, id est scripta, atq; per sacramentũ, significari corpus Christi, deinde sequitur quod dicis, vt ad salutẽ sumatur. Et de mutatione, id est, abiectione substãtiæ eius, quod è fructibus terræ colligitur, nulla fit mentio: quomodo intelligendus sit Ambrosius superiꝰ declaraui. CHE. Chrysost. Hom. 45. super Iohã. in ca. 6. ita scribit: Hic sanguis effusus, vniuersum abluit orbẽ terrarũ. de quo multa Paulus ad Heb. prosequutus est. Hic sanguis abdita, et sancta sanctorum purgabat. Quod si eius figura tantã habuit vim in templo Hebræorũ, in medio Aegypto, liminibus aspersus, lõge magis veritas. Hic sanguis aureũ altare signauit, sine hoc princeps sacerdotum in penetralia ingredi nõ audebat: hic sanguis sacerdotes faciebat, hic sanguis in figura peccata purgabat: In qua si tantam habuit vim, si vmbrã ita mors horruit, quantopere quæso ipsam formidabit veritatem? &c. Confert sacramenta veteris Testamenti cũ sacramentis.

Noui testamenti, quasi vmbram & figurã, cum veritate, nostrãq; mysteria admirãda, atq; horrenda vocat. Si itaq;, vt dicit, veteres habuerunt vmbras, & nos veritatem, consequitur in sacramento Eucharistiæ verum Christi corpus adesse, alioquin, si tantũ significatione illic ipsum haberemus, nihil plus tribuendum esset sacramentis nostris, quam sacramentis antiquæ legis. MAR. Quod Chrysost. dicit, Veterum sacramenta collata ad nostra vmbras esse & figuras, recipio. Sed ita accipiendum est, vmbras & figuras ibi fuisse, quia Christi aduentus adhuc expectabatur. Deinde significationes illorũ sacramentorũ obscuriores erãt, quod vtrũq; cõuenit figuris et vmbris: nam figuræ præluserunt Christo venturo, & vmbræ copia lucis carent. His modis in sacramentis veterum significabatur Christus, & credentibus exhibebatur fide percipiendus. Nobis uero nunc offertur in nouis sacramẽtis, vt qui iam venerit, promissa persoluerit, et pro nobis reipsa sit crucifixus. Deinde verba quæ habemus in sacramentis nostris, longe sunt

clariora

clariora ac lucidiora, quam fuerint verba antiquorum sacramentorum in lege. Sed tu accipis veritatem, quasi significet realem præsentiam, ideo infers nobis corporaliter et substantialiter adesse corpus Christi: at veritatem patres intelligunt in nostris sacramentis collatis ad vetera, eo quod repræsentent rem iam præstitam, scilicet apertum regnum cœlorum, & beneficium redemptionis nostræ, summa claritate & certitudine iam peractum atq; perfectum, & collatum in nos, veluti ob oculos fidei ponunt. CHE. Attamen æque vera erant sacramenta patrum atq; nostra, eadem uis erat in illis, quæ est in nostris, illi tam bene credebant Christum venturum, quam nos venisse. Nam teste Paulo, Patres nostri omnes biberunt ex eadem petra spiritualem potum, & manducauerunt eundē cibū̄ spiritualē. MAR. Veteres patres habuisse quo ad rem, eadem sacramenta nobiscum, quæ erant signa Christi venturi, et eum credentibus offerebant, verum est, sed discrimen fuit (vti dicebam) quod iam Christus re ipsa persoluit nostræ

salutis precium, tũ vero erat persoluturus. Et res iam facta, si cõferatur sibi ipsi facienda, & solidior est, et veritas dici potest. Vmbram vero & figuram habere dicitur, cum nondũ est præstita. Deinde quod verbis planioribus & euidẽtioribus Christus et mors eius nobis exprimatur, nemini dubium est. Ex his collige nos cum veteribus (vt Paulus attestatur) habere quo adrem, eadem sacramenta, sed esse discrimina complura, & inter ea, quod attinet adrem præsentem, illa quæ recensui. CHE. Sacramenta patrum promittebant gratiam, nostra vero dant, quæ in tuis lectionibus tu interpretabaris, datam gratiam significant. Igitur si illa significabant dandam, & nostra significant datam, vtrinq; par est significatio, et nostra sacramenta nihil plus habebunt, quam vetera habuerint. Et contra id quod asseris, Antiquorum sacramenta fuisse obscuriora, probabo ea habuisse euidentiorem significationẽ. Sanguis enim agni immolati apertius repræsentabat corpus & mortem Christi, quam panis & vinum, si modo ibi sit panis

&

et vinum. MAR. Respondeo ad singula ordine, Affirmo quod mihi abijcis, sacramenta veteris legis, significasse gratiam dãdam, nostra vero, iam datam, & exhibitam, scilicet Christum iam incarnatum & passum. Et dum prælegerem, inter alia multa, quæ de hac re disserui, memini me et hoc dixisse, quia neutra sacramenta, tam videlicet nostra, quam antiqua concedere volui, per seſe conferre gratiam. Nam quicquid habemus gratiæ, id per fidem obtinemus, et non (vt vos fingitis & dicitis) ex opere operato. Neque propterea, sacramenta reddimus cõtemptibilia, quãdo ea constituimus, dum rite sumuntur, adiuuare, confirmare, & augere fidem qua vna iustificamur. Etenim Spiritus sanctus, vt verbis Dei & scripturis vtitur, tanquam instrumentis ad nos immutandos & seruandos, ita etiam vtitur sacramẽtis. Habes igitur quomodo acceperim legalia sacramenta significasse dandam gratiam, & nostra significare iam datã. Quibus adiungas, sacramentis nostris magis iuuari fidem quam veteribus: Partim, quia verba sunt clariora,

clariora, & nostrum bonum, id est redemptio per Christum, in his proponitur nobis euidentius, & cum fides per verbum habeatur, quo verbum est euidentius, fides excitatur vehementior, eoq; magis rem significatã apprehendit: partim, quia vberiorem spiritum per sacramenta nostra concedi, quam per sacramenta veterum datus fuerit, facile assentior. Et illud inconcussum manet, quod antea commemorabam, rem præstandam, collatam iam præstitæ, & vmbram & figuram dici posse. Deinde quod instas, agnũ & mactationem victimarum, clarius repræsentasse Christum & eius mortem, Respondeo: Euidentiam & claritatem sacramentorum, præcipue spectandam esse in verbis: Etenim si conferas verba symbolis, verba sunt, eorum anima, & patribus priscis non exhibebantur tam expressa & aperta eloquia de Christo, & morte eius, quam hodie in sacramẽtis nostris habentur. Dicitur: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, &, Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum,

quid his verbis aut planius aut apertius dici poteſt? CHE. Vbi eſt abundantior fides, ibi eſt ſacramentum præſtantius. Fides autẽ Abrahami maior fuit quam noſtra ſit, igitur ſacramentum habuit præſtantius: Et ita ſequeretur veterum ſacramenta, fuiſſe noſtris potiora. MAR. Prima propoſitio quã aſſumis, non eſt omnino vera. Neque eſt neceſſariũ, vt vbi eſt abundantior fides, ibi ſit præſtantius ſacramentum. Nam Abrahamus & credidit et iuſtificatus eſt, antequã haberet ſacramentum circumciſionis, poteſt enim fides, imò debet haberi ante perceptionem ſacramentorum, Conceßimus quidem eam per illa adiuuari & confirmari, non tamen quod per ea tantum daretur, Si dixiſſes illa ſacramenta debere præſtantiora exiſtimari, per quæ in credentibus magis confirmaretur, & augeretur fides, verum dixiſſes, at poſtea quod ſubdis de Abrahamo, non eſſet ad propoſitum, niſi demonſtraſſes eum ſuam fidem habuiſſe per ſacramentum, quod non eſt verum. Deinde quod adieciſti Abrahamum habuiſſe maiorẽ fidem

quam nostra sit, nõ esset recte positum, quia vt concluderes quod volebas, ponendũ fuerat, Abrahami fidem maiorẽ fuisse ea, quæ in nouo testamento habetur, & tunc assumeres dubiũ. Quid enim nosti, Paulum, Petrum, multos Apostolos, & martyres, non æquasse Abrahami fidem? Igitur cum maior tum minor propositio tui syllogismi patitur instantias, & plus accipis in cõclusione, quam in toto antecedenti reperiatur.

Hic

HIC DOMINI VISITATORES FINEM IMPOSVERunt disputationibus, cũ esset iam audita undecima hora. Et D. Doctor Richardus Coxus Regius Legatus, & Oxonienſis Academiæ Cancellarius, hanc habuit Orationẽ.

VIRI Oxonienſes peregimus quatuor dimidiatos dies in excutiendis duabus quæſtionibus, de trã ſubſtantiatione ſcilicet, & reali præſentia corporis Chriſti in ſacramento. Magno fuit nobis oblectamento hæc diſputatio, atq; utinam per tempus licuiſſet, omnia quæ hic dici poſſent audiuiſſe. Quod optabamus, id ſucceſsit: ut quieta eſſet diſputatio. Auditores ita etiã ſedati, ſpero ueritatis imbibendæ auidi: Qui fabulam peragebant, & utrinq; diſſerebãt, ſuo

officio diligentiſsime perfuncti ſunt, nec meritis laudibus fraudandi. Viri noſtri, hoc eſt Angli & Oxonienſes, præterquam quod conſcientiæ ſuæ negotium egerunt, etiam haud minimum decus huic Academiæ attulerunt, quod in tãta cauſa, non ſubterfugerint, quo minus palàm teſtarentur, pro eruditionis ſuæ modulo, & dono à Dei benignitate ſibi impartito, & quid animi in hiſce controuerſijs haberent, & quibus rationibus et authoritatibus huc perpellerentur: pulcherrimè ſanè, ſibi datam prouinciam obierunt. Cæteri uero docti & boni uiri, qui in ijs tantis rebus tacuerũt, neſcio quo pacto, ſuo ſilẽtio negationis notã ſibi inuſſerunt. Petrus autẽ, & merito Petrus, propter cõſtãtiæ ſuæ firmitatem: Martyr, & merito Martyr ꝓpter innumera quæ nũquã nõ ꝓfert de ueritate teſtimonia, multam apud nos, & apud pios omnes inire debet hoc tempore gratiam. Primũ, quòd immenſos labores exantlarit,

larit, in ſuſtinendo diſputationũ one re. Nam Sine Hercules quidem contra duos, quid Petrus ſolus contra quoſcunq; ? Deinde, quod diſputationem inſtituerit, uanos uanorum hominum ſermones repreſsit, qui de eo inuidioſa atque odioſa ſparſerãt, nimirũ aut nolle, aut non audere ſua defendere. Poſtremo, quod ſummorum magiſtratuum atque adeo Regiæ maieſtatis expectationi optimè reſponderit, dum non ſolùm Chriſti doctrinã, ex ipſis uiuis fontibus Dei propinauerit Academiæ, ſed neque quemquam (quantum in ipſo ſitum fuit) fontes aut turbare, aut obſtruere permiſerit. Auſcultauimus nos hanc Chriſtianam uelitationem, quæ ueritatis indagãdę, atque inueſtigandæ cauſa, eſt ſuſcepta. Qui quidem ſtatus, in omni diſputatione, tanquã unicus ſcopus, ad quem omnes colliment, perpetuus eſſe debet. Hanc ſcrutari oportet omnes, quibus ſincera religio cordi eſt. Quid enim aliud

uult. Scrutamini scripturas? nisi, è scripturis ueritatem indagate? Cęterum de hisce controuersijs sententiã ferre, & litem prorsus dirimere, modo non decreuimus. Tum autem decernetur, cum Regiæ Maiestati, & ecclesiæ Anglicanæ proceribus uisum fuerit. Quod si ego, quem uestrum Cancellarium pro uestra humanitate adlegistis, aliam nunc personam non gererem) Aliam enim Regia authoritas iam mihi imposuit) optatissime uellem in his propositionibus fidei meæ rationem reddere. Nõ enim me pudet euangelij Christi, neque ueritatis, quæ ex uerbo eius omnibus lucet, quod quidem alias, cum dabitur oportunitas, facere non detractabo. Interea uero uos peregrinos & alienigenas, si qui sunt modo exhortor, ut domum uestram reuertamini. Nolite perpetuo peregrinari in Patribus & Concilijs, tãquam in patria uestra. Nolite existimare illa esse uestra principia. Nolite hallucinari in probabilibus

libus humanæ ſapiẽtiæ uerbis. Quę-
nã principia habuerunt patres? Quæ
concilia? Quam turpiter in multis la
pſi ſunt patres? quam fœde errarunt
concilia? Errorum hic nolo meminiſ
ſe, nolo hanc mouere camarinam. Et
tamen patres atque concilia debent
eſſe principia diſputationum? Fue-
runt ante hac hæretici, qui negarunt,
uel partem uel totam ſcripturã, Sunt
et hodie Libertini, qui eadem inſania
laborãt, ij noſtra Chriſtianorum prin
cipia negant & conculcant. Qui uer
bum Dei in altiſsima ſpecula conſti-
